

Th. Bartholini De peregrinatione medica : ad cl. v. Oligerum Jacobaeum nepotem suum et filios Casparum Bartholinum, Christoph. Bartholinum.

Contributors

Bartholin, Thomas, 1616-1680.

Paulus, Daniel

Wering, Christier, active 1683

Publication/Creation

Hafniae : Sumpt. Danielis Paulli, reg. bibliopolae. Literis Christiani Weringii Acad. typogr, Anno 1674.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cnhjsdw5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Sup

TH. BARTHOLINI
de
PEREGRINA-
TIONE MEDICA

ad Cl. V.

OLIGERUM JACOBÆUM
Nepotem suum
ET FILIOS
CASPARUM BARTHOLINUM,
CHRISTOPH. BARTHOLINUM.

ANNO



1674.

1674

HAFNIÆ, Literis CHRISTIANI WERINGII Acad. Typogr.
Sumpt. Danielis Pauli, Reg. Bibliop.

5

MVSEVM
BRITAN
NICVM

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE

1787



SI pro affectus magnitudine verba mihi fluerent, paucis certé exprimere non possem quo voto ex patria Academia discedentes Vos prosequar, quo animo demittam tam chara mihi capita, tam desiderata pignora, tam probos filios civesq;, quibus præceptis instruam ad itinera suscepta feliciter persequenda, ad studiorum metam assequendam, ut DEO deniq; & patriæ tandem inserviatis. Dicitur non potest quam ægré divortium corporis, non animorum, feram. Satis exprimere verbis nequeo quantis suspirijs Matres optimæ & indulgentissimæ vos abitum meditantibus amplectantur, quas lacrymas noti amici minentur, quibus gratulationibus omnes prosequantur, quasi publica res ageretur in privatorum proposito & voluptate peregrinandi. Ita est profectó, nullius boni possessio est perpetua. A parentibus Liberi divelluntur, dulcissima thori pignora, & Medicorum *παῖδες* exteris cedunt, quiq; succo nostro hætenus victitarunt, peregrinum captant. Hæc sunt orbis eruditi commercia, ultro citroq; inter amicas gentes instituta. Damus nostros, recipimus alienos. Docemus alios, ab alijs discimus. Exemplo præimus orbi, &

orbis nobis est exemplum. Quid querimus orbitatem filiorum? cur abeuntes ad præclara videnda discendaq; retrahimus contrarijs votis? Abeunt, ut redeant, peregrinantur foris ut secum habitent. Non sibi nati sunt, sed patriæ, sed orbi. Nam animæ fortis universum mundum patriam dixit Democritus. In maxima verò felicitatis gaudijsq; parte reputo, quod ita domi vixerint, ut sui desiderium parentibus, amicisq; reliquerint, & publico spem haud dubiam futuri emolumenti. Alia in laudem Nepotis & filiorum dicenda taceo, ne affectu paterno verius quam veritate videar rapi. Sat est ita eos esse comparatos, ut metacente, Literatorum amorem mereri posse videantur & bonorum favorem, qui ingenium & adolescentiam præclaris domi operibus auspiciati sunt, nullo indulgentiæ blandimento, sed virtute, quam amant, ad honesta excitati. Dederunt publica indolis optimæ documenta & studiorum specimina, ne publicum formident, nec hospites in orbe censendi, qui partem illius extra patriam vel in Belgio, vel Norwægia, perlustrarunt, & pennâ publicâ volare cœperunt. Quanquam igitur vos, mi filij, non paucos jam annos audientes magnos Magistros, idq; in urbe patria literatissima, abundare oportet præceptis, institutisq; Medicinæ, & Philologiæ, & Matheseos, propter summam & Doctorum Academia nostræ auctoritatem, & urbis, quorum illi vos scientia augere possunt, hæc exemplis; tamen

ut ip

ut ipse ad meam utilitatem olim peregrinas oras
 invisendas existimavi, idem vobis censeo facien-
 dum, ut par sitis publicæ expectationi. Idem
 nunc vobis quod olim mihi suasi. Nec dubita-
 bitis in parte consilij vestri ponere, quod ipse feci,
 & ante me sapientissimi quiq; qui peregrinandum
 sibi putarunt, ut sapientiam vel discerent uberi-
 orem vel sufficientem docerent. Sic animo, alio-
 rum exemplis præceptisq; confirmando, sic cor-
 pori consulitis, quod, ne vitium trahat, motu
 conservatur, sic vitæ frugalitati assuescitis, cum
 offa, ut apud *Stobaum* loquebatur Democritus, &
 thorus herbaceus famis & laboris dulcissima vobis
 sit medela. Corpore languentibus peregrinatio-
 nem & equitationem commendavit *Galenus* l. de
 Icteri Cura. Quantum animo sapientia apud sa-
 pientes informando peregrinationes prudenter
 institutæ conferant, veterum sapientum exemplis
 discimus. Apollonius Thyanæus ad Indos revisit,
 ut cum Brachmannis consuesceret, ubi conclusum
 fuit, esse supra quatuor elementa regionem puram,
 DEI generationem, *Philostrato* teste, Romæ quoq;
 cum Telefino Consule de varijs rebus gravioribus
 contulit. In Ægypto cum Vespasiano sermones
 miscuit, & cum Gymnosophistis locutus, Nili ori-
 ginis curiosus indagator. Anacharsis Scytha pari
 generositate Athenas contulit, arcta cum Solone
 inita amicitia. Testatur ipse ad Croesum, venisse
 se in Græciam ut disceret mores, leges & vivendi

modum Græcorum, nec opus sibi esse auro, sed sufficere ut melior redeat; doctiorq; in patriam. Peregrinantur hoc tempore multi, & universa Europa peregrinari videtur, militibus undiq; fines vicinorum depopulantibus, ut vel numis ditiores, vel provincijs urbibusq; occupatis revertantur ad patriam cruentis manibus, saucio pectore, vulnerata conscientia, sibi plaudentes cum numos contemplantur in arca, sed diris devoti propter innocentissimas animas quas peregrinari coegerunt. Non ita Anacharsis, nec Regina Orientis, quæ solius sapientiæ cupiditate flagrans, sine alia lucelli spe, ad sapientissimum Salomonem audiendum perrexit. Pythagoras Samius, sapientiæ fama inclytus, apud Barbaros & Græcos magnam mysteriorum partem hausit. Ad Persas profectus magorum scientiæ se formandum tradidit, à quibus siderum motus, cursusq; stellarum & uniuscujusq; vim, proprietatem & effectum docili animo hausit. In Ægypto sapientiam & gentis linguam imbibit, triplexq; genus literarum, Epistolicum, Hieroglyphicum & symbolicum, didicitq; exactam cognitionem DEorum. Cretam deinde navigans cum Epimenide speluncam Ideæ contemplatus est. Hic & in Arabia, & in Judæa didicit modum interpretandi somnia & futura divinandi. Hac specie hodieq; peregrinantur cum Pythagora non pauci, sed dispari animo & eventu. Linguas peregrinas discunt, ut ijs abutantur

in ali-

in aliorum vel perniciem vel contemptum, DEIQ; cognitionem susq; deq; habentes, plus sciunt quam credunt, & maló credunt quæ sciunt. Somnia sibi fingunt, alijs multa sibi nihil prædicentes, suiq; adulescentes belle se rem gerere putant, si in externis occupati terras varias pari cum asinis vectoribus passu emetiantur. Aliam peregrinationis suæ rationem *Plato* iniit, cæterisq; viam monstravit. Megaram concessit ad *Euclidem* auscultandum, cum nonnullis discipulis *Socratis* junioribus, ad *Cirene* abiit, ut *Theodorum Mathematicum* audiret, mox *Italiam* petijt ut disceret à *Philolao* & *Furito* Pythagoricis. *Ægyptum* salutavit, comitatus *Euripide*, ut cum sacerdotibus colloqueretur. Scilicet omnium peregrinationum finis esse debet, ut ex regionibus dulcissima exsugantur, & à sapientibus illa mutuemur quæ & mores instruant & utilis doctrinæ cumulum augeant. Ad *Æsculapij* nepotes hæc inprimis cura spectat. Neq; enim omnis fert omnia tellus, nec eosdem morbos morborumq; remedia uni loco natura locavit. *Hippocrates*, Medicorum Pater, in *Lege* requirit, ut perfecti Medici nomen acquiratur, Locum à natura ad disciplinam accommodatum. Qui alibi quoq; quam in patria panditur, ut varietas ægrorum facilisq; illorum inspectio habeatur. Barbaras militias sequi Medicum aliás voluit *Cous* Lib. de Medico, ad cognoscenda tractandaq; telorum vulnera. Imo Medicum

inter

inter belli necessaria recenset *Ælianus* Tactic. c. 2. Peregrini morbi cum moribus patriam infestant, peregrina igitur medicamenta ex loco natali inspicienda. Hinc in curatione luis Veneræ ex America Guajaci usum nostro orbi invexere Hispani. Et si Medici Galli, Itali aut Hispani scorbutum curare velint domi, ad peregrinationem ad nostras oras impelluntur ea necessitate, qua nos ad illos invisendos obstringimur. Sic manus manum lavat, nos illorum, illi nostros morbos discunt, ut cum laude omnibus medeantur. Ipse Hippocrates peregrinatus fertur ad Democritum, in bilis sede inquirenda occupatum, qui ut hospes non discipulus exceptus fuit, reliquitq; patriam non quod Guidiorum Bibliothecam incendisset, quemadmodum falso rumore de eo creditum est, sed ut artis suæ speciminibus innotesceret pluribus & pluribus prodesset. Quod quoq; aliorum Medicorum institutum fuit. *Galenus* certè Pergamo relicto Smyrnæ Pelopem audivit, Corinthi Numesianum, mox Romæ artis suæ dexteritatem ostendit, quam ter revisit. In Judæam verò profectus, non ut Christi miracula perspiceret, quod negat *Labbeus* de Vit. Gal. p. 54. sed ut Opobalsamum & bitumen Judaicum exploraret. In Lemnum Insulam navigavit, ut quæ de Terra Lemnia dicebantur præfens videret. In Cypro metalla, Cadmiam, Pompholygem aliaq; investigavit. Nec Alexandriam insalutatam præterijt, cuius

cujus scholæ tanta olim erit fama, ut *Amianus* L. 22. pro omni experimento sufficere Medico dicituraverit ad commendandam artis suæ autoritatem, si Alexandria dixerit se eruditum. Hujus Academiæ Alexandrinæ Professor Agapius celebratur *Suida*, qui Byzantium deniq; profectus ludum literarium valdè insignem aperuit. Ab hac locorum mutatione Medici deinde dicti fuere *περιουδευταί* h. e. circulatores, honesto veteribus nomine, nostris moribus minus honesto. Nam *L. 6. §. 1. ff. Lib. 27. de excus. Tutor.* à Modestino Medici ita vocantur, jungunturq; Grammaticis, Sophistis, Rhetoribus, quibus à tutela requies conceditur. Veteri Interpreti Circuitores. Non quod *ἀγοραίοι* fuerint, qui hodieq; in theatris forensibus sua arcana vendunt: sed quia Principum in itineribus socij. Nam & Comites dicebantur à Principum Comitatu, vel quod urbes circum iverint sanitatis reddendæ causa, artisq; suæ pluribus communicandæ. In Ecclesia Christianorum veterum vocabulo quoque honesto Episcoporum Vicarii *περιουδευταί* appellabantur, circuitores seu visitatores, qui regiones civitatibus subjectas visitabant ac circumiverunt, propria sede destituti, de quibus in Concilio Laodicensi Canon 161 loquitur, quod ex Balsamone, *Zonara*, aliisque illustrat *Chr. Justellus* Not. ad p. 82. Nostro seculo tanta peregrinationis utilitas ad Medicum redundare videtur, ut Medici autoritatem tueri nemo possit, qui extra patriam ve-

stigia non protulit. Quamquam enim domi abundè quisq; habeat, quæ sint instituto Medico necessaria, debent tamen exterarum rerum collatione confirmari, vel augeri. Incredibile est, quantum delectet juvetq; alienos agros, camposq;, montes fluviosq; intueri, & naturæ variæ ubiq; admirari benignitatem: agrorum variorum statum in domibus, in Nosocomijs, quæ passim splendide magno lectulorum numero visuntur, eorumq; curandi rationem perspexisse: Virorum Doctorum colloquijs frui, singulorumq; experientias provocare: Laboratoria, fornaces chemicorum, Pharmacopolia, myropoliaq; ingredi. Ad Anatomem vel discendam vel perficiendam, peregrinatio quantum momenti conferat, ignorare neminem existimo. *Galenus* l. I. Adm. Anat. c. 2. enitendum censet, ut in Alexandria commoretur Anatomes cultor, sceleti solius visendi gratia, ubi Medici ossium disciplinam auditoribus ante oculos exponunt. Quem locum si non assequatur, alijs negotijs jam occupatum, licebit in eum modum hominum ossa contemplari, quo ille quoq; se usum narrat, in sepulchris quibusdam, & monumentis dissolutis, vel ad theatra illa revisere quæ passim in orbe nostro literato à Prosectoribus animantur, nullo passu Alexandrinorum celebritati cedentibus. Sic patrum memoria Hispania Valverdam edidit coluitq;, Ingrassiam Sicilia, Iasolinum Neapolis; Bononiam inviserunt Artis

culto-

cultores ad Carpum, Mundinum, Varolium, Patavium ad Vesalium, Fallopiam, Aquapendentem, Casserium, Romam ad Columbum, Piccolomineum, Eustathium, Basileam ad Platerum & Bauhinum, Parisios ad Jac. Sylvium, Car. Stephanum, Paræum, Monspelium ad Laurentium, Wittebergam ad Salomonem Alberti, Leidam ad Pavium. Nostro seculo exterorum studia ad se allicere vidimus florentes in Europæ cultioris regnis Professores clarissimos, amicitiam partim, partim fama nobis notos, Neapoli Severinum, Mesanæ P. Castellum, Romæ Trullum, Panarolam, Pisis Ruschū, Fracassatum, Florentiæ Redū, Tilemannum, Bononiæ Malpighium, Bellinum, Venetijs Folium, Patavij Spigelium, Plazzonum, Veslingium, Marchettos, Molinettum, Virsungum, Leonicerum, Ticini Asellium, Basileæ Bauhinum Filium, Parisijs Riolanum Filium, Pecquetum, in Anglia Harvejum, Glissonium, Willisium, Highmorū, Lowerum, Leidæ O. Heurnium, Falcoburgium, Walæum, Fr. Sylvium, Hornium, Amstelodami Tulpium, Blasium, Ruyschium, Swammerdamum, Kerckringium, Sladum, Delphis Regn. de Graaf, Gröningæ Fissonium, Ultrajecti Diemerbroeckium, Hobokenium, Sylvæ Ducis Bilsium, Argentorati Sebizium, Altorfij Maur. Hofmannum, Helmstadij Meibomium, Jenæ Rolfinccium, Slegelium, Lipsiæ Welschium, Chiloni Majorem, In Suecia Rudbechium & Howenium,

in patria Hafniæ Sim. Paulli, Möinichenium, Borrichium, Stenonium, heu quanta nomina! quæ cum universa antiquitate certare valent. Quocunq; locorum perveniat Artis filius, inveniet apud laudatos Profectores, vel illorum successores felicissimos, quæ sciendi aviditatem exsati-ent. Cæterum ad Anatomem Practicam, quam omnibus commendare nunquam cessabo, plurimum auxiliij subministrabunt Nosocomia, quæ in celebrioribus urbibus patent, facilem viam monstrant in cadaveribus morbo defunctis ad cognitionem sedis affectæ & morbosas causas. Ad quam lineam spectant rerum Naturalium Musea hinc inde obvia, præsertim quæ sceleta adulta & puerilia ostentant, instrumenta Chirurgica præbent, exotica animalia, fructus peregrinos, seminum, metallorum, mineralium, lapidumq; varietatem elegantem & alia foro Medico inservientia advenis monstrant. Hic & ibi Anatomicus peregrinans, medicinæ bono, excerpere potest quæ ad rem suam videbuntur. Unde neminem facile sive nostra sive superiori ætate invenias Artis Anatomicae gloria eminentem, qui peregrinationum tædia ocio domestico postposuerit, quanquam, quod dolendum, non semper felix fuerit & optatus susceptorum itinerum exitus. Zervus enim, dictione quidem barbarus, non doctrinâ, in Thracia nefariè obtruncatus, cujus tragediæ seriem per-texuit *Neander* in syntagmate de Med. Orig. p. 151.

Vesalius Hierosolymam ire coactus fuit, nullius sceleris expiandi causa, sed, referente *Thuanol.* 74. Hist. Gall. quod in defuncto cadavere, adhuc se movente corde, causam morbi inquisiverit. Carpus in exilium actus à Bononiensibus non quod vivos homines aperuerit, quod scelus ipse detestatur Comm. in Anat. Mundini, sed quia frequentioribus sectionibus id agere visus est, vel sicut suspicatur *Riolanus*, ob libertatem loquendi in Anatome commissam, obscœnumq; sermonem, quo aures honestas offendit. Bucretius Uratislaviensis absoluto Patavij opere Spigeliano, Bononiæ inquisitionis rigorem redemit religionis professæ mutatione, deinde Parisijs cucillum induit Dominicanorum, qui os sacrum cucullo Monachorum comparaverat & musculum scapulae. Virfungus Bavarus sclopeto in limine ædium propriarum trajectus Patavij occubuit. Spigelio vitrum digito impactum necem acceleravit. Slegelio cadaveris secandi manus terrorem injecit. Sic ubiq; ferè Anatomicis naufragia nocuerunt, & si aliæ defunt insidiæ, exhalationibus cadaverum enervantur, ut pauci ad canitiem venerandam aspirare possint, si Democritum excipias centenarium, Aquapendentem nonagenarium, Riolanum octuagenarium, Simonem Paulli nostrum & Rolfinccium septuagenario majores. Quod si deniq; salvi iter absolvant, domiq; cum Galeno consenescant, præter fatigatas cruentasq; manus,

easq; vacuas, nihil præmij referunt. Paucis enim contingit adire Corinthum, ut aureo torquecum Aquapendente, Veslingio, Folio superbiant. Quicquid sit, non augeri dignitate quam æquari bonis gratus. Ars ipsa quoq; quærenda propter artem, spretisq; omnibus difficultatibus pergendum quo fata jubent favente genio, qui cogi raro potest, ubicunq; Democriti spelunca panditur. Æquum enim est, ut cum *Plinio* loquar in Epistola 29. l. 6. agere nonnunquam gloriæ & famæ, id est suam causam; quos terminos peregrinationi ponimus, prospicere ægrorum saluti, & propriæ famæ consulere. Utrumq; consequimur, si veram peregrinandi rationem ineamus ex nobis ipsis, & aliorum in itinere occurrentium conditione. Illud, si tales domo abeamus, ut maturi rerum æstimationi finem necessarium quærere sciamus, & reduces assequamur. Hoc, si nihil relinquamus intactum, unde fructus capi potest, nihil contemnendo, nec tamen omnia magnificiando, quippe ignorantiam prodit, domi quotidiana & vilia pro invisis admirari foris, sed prudentis erit nihil spernere. Nos ipsos peregrinationi Medicæ accingemus ea prudenti cautela, ne fatigemur virtute & curiositate videndi omnia, ex quibus vel minima utilitatis spes affulget, meminerimusq; omnes boni hospitis leges à nobis religiose esse servatas. Scientia quacunq; instructus efferre se supra alios supercilioso fastu non debet,

ne in

ne invidiam in se concitet, nec tamen discere plura erubescat. Vitijs quibuscunq; etiam invitum dominum sequentibus obnoxius, cum Polemone, Xenocratis Philosophi contubernio ad frugem desideratam redeat, emendeturq; sapientum gravitate. Exempla bonorum captet, ad cætera coniveat. Peregrinetur animus inter quoscunq; malos bonosq;, sed inter hos non habitet. Bona omnia pro suis reputet, mala detestetur, ut aliena. Ad discendum accedat promptus, ad vitia aliorum mutus surdusq;. Multa videat, de paucis censeat. Sacra Eleusinia è longinquo veneretur. Rumores vitet. De omnibus benè judicet sentiatq;. Injurias oblivione vindicet & silentio castiget. Amicos vel centum veneretur, ab unico sibi caveat inimico. Hac arte arcana omnibus placebitis, si omnes vobis placeant. Verbo: omnibus interveniendum, nemini nocendum, & de ignoti fama modestè judicandum. His ex causis sic sibi gratulabitur quisquis, nec privatim magis quam publicè, quod non ad pericula, quæ peregrinantes non rarò, rerumq; curiosarum cupidos helluones invadunt, verum ad honores virtute & civili conversatione perveniat. Singularum in peregrinatione discendarum videndarumq; tanta est varietas, ut paucis lineis nequeant includi. Ad duo tamen rerum momenta reduci possunt. Res & Homines. Hi, velut apes Platonis, præferendi qui labellis discentium mel inferendo solidæ &

æternæ

æternæ felicitatis indices sunt. Illæ nec parca nimis manu, nec avida arripiendæ. Nimia enim in minimis curiositas, majorum tempora excludit, & parcus necessariorum alimentorum usus appetitum excitat, non satiat. Modus ubiq; servandus. Non omnibus Doctõribus accedendum, nec de omnibus docentes audiendi. Aureum est axioma *Cardani* l. de Arcan. Prud. Civ. c. 127. §. 19. in nullis inutilibus tantum progrediari, ut regredi non possis. Cum delectu eruditio, præsertim Medica, haurienda. In primis illa discenda, quæ finem medicum, ægrorum valetudinem respiciunt & rerum veritatem, neglectis quisquilijs, quibus Polyhistores defatigantur. Contendere de solis nominibus, *Galeno* monente, aut de vocibus ut graculus aut corvus pudebit. Quamquam enim hæc aliaq; amœna magno ornamento videantur à Medicis sciri posse, in brevi tamen & angusta vita, cui nos adstrinxit fatum, sæpe obicem ponunt ad necessaria properantibus, & dum docti supra vulgus esse volunt Medici, vel de infelicitate vel farina defectu conqueruntur. Vidimus Polyhistores à formula medica præscribenda tantum abhorruisse quantum olim Nero Claudius cum de supplicio cujusdam capite damnati ex more subscribendum illi esset, ut mallent necesse literas. Vidimus versa vice mediocri doctrina imbutos, sed audaces & in medendo expertos, palmam in curando reliquis doctioribus præripuisse,

puiſſe, adeoq; copia rerum omnium abundaſſe, cum alijs vix ad ſalinum tenue ſufficere potuerint reditus. Abundé in itinere occurrunt, quæ medicinae ſtudijs addictis negocium faceſſunt, ut hoc agant, ut metam propositam proſpiciant citiſſimé aſſequendam. Per ambages tardius itur, celerius per viarum compendia ad ſcopum properamus. Sic Medicum ornat & delectat varia eruditio, non dicit facile, nec citius perficit. In ſupervacuis igitur nec privatim multa agenda, quemadmodum apud Stoicum loquitur Democritus, nec publicé. At ſi neceſſaria ſunt, & privatim & publicé, non tantum multa, ſed innumerabilia agenda ſunt. Meo exemplo alios monere poſſum. Avidum diſcendi cuncta pectus in peregrinatione decennali non tantum longiora itinera ad ultimam Melitam, non Thulen, ſuſcepit, ſed multarum rerum cupidine multas horas, neceſſarijs alijs deſtinatas, variæ eruditioni impendit, linguis Ebreæ, Arabicæ, Copticæ, Juriconſultorum lectionibus, Poëtarum delicijs, Criticorum ſtudijs, Platonico- rum ſubtilitatibus, Antiquitatibus curioſis, quorum magnam partem dedidici, nec poenitet, expertus quippe ſum oneri magis inutili quam emolumento eſſe quicquid præter ſcientiam medicam, cui, ut feliciter vivas, acquieſcendum, curioſa diligentia ſectamur curioſé. At ſi quidem purus Medicus dicitur vulgo purus Aſinus, ſubceſivas horas, quas alij ludicris impendunt, amo-

ribus in̄tempestivis, com̄otationibus, aleis, ornatui, dedicare fas est amœnis Philologorum & Antiquariorum studijs, quibus se Medicus gratiosum & politum reddit. Undiq; colligenda quæ horreo Medico ditando inserviant, ut velut Argonautæ ex itinere aureum vellus referamus. Omnia quæ occurrunt, Medicorum oculos detinent. Aer regionum, terrarum natura, aquarum salubritas, cœli influxus, incolarum temperies, victus ratio, morbi, remedia domestica & communicata. Naturæ reliquæ dotes, cuiq; loco propriæ, in herbis, animalibus, aquis medicatis, succis, terris medicatis, metallis, aliisq; expendendæ. Ex Medicis curandi rationem omni loco peculiarrem, morborumq; endemiorum typum, experimenta singularia, & observationes raras discimus. A Chirurgis venam secandam, cucurbitulas, hiru- dines, cauteria. A Pharmacopœis Compositio- nes medicas vel Medicorum vel proprias. A Chemis modum figendi Mercurium, auri potabilis, lapidis Philosophorum. A plebejis plebeja, ab olitoribus opportuna, ab omnibus aliquid, cum raró hospitia intremus quin remedij domestici usum discamus, vel rari morbi historiam. Agyr- tarum quoq; secreta, quibus plebi non raró vel fucum faciunt, vel satisfaciunt, neutiquam neg- ligenda. Nemini aures claudendæ. Nam sicut ad rem *Tertullianus* l. ad Mart. & gladiatores per- fectissimos non tantum Magistri & præpositi sui,
Sed

sed etiam idiotæ & supervacue quiq; adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint. Et quanquam ubiq; prostent & in bivijis occurrant quæ ad animum revocari merentur; certis tamen locis, velut in orbe suo stellæ, leguntur diversa artis incrementa, hic fundamenta facilius hauriuntur, ibi Medica exercitatio floret, alibi materiæ medicæ copiosior proventus est, Floræ cultura viget, opera Pharmaceutica urgentur, chemicorum fumi excitantur, experimenta naturæ provocantur, Anatomicæ demonstrationes tractantur, Chirurgorum Operationes fervent, alibi veterum Medicorum placita ventilantur vel ab Hippocratis sectatoribus, vel Galeni clientibus, vel Arabum discipulis. Singulis vacandum Medico peregrinanti, & in proprio foro quærendæ merces, ut ex multorum eruditione & experientia, unus Medicus emergat & perficiatur. Ut clarius loquar sine ænigmate: artis principia vel domi in patria, vel vicino Belgio traduntur: Medica exercitatio Anatomicæq; sectiones Parisijs Patavijq; florent, Flora Monspelij, & in monte Baldo caput effert, Pharmaceuticam & Chemicam Germania docet, experimenta Londini, Florentiæ &c. fiunt, Chirurgicæ artis dexteritate Lutetia & Italia eminent. Hippocratis oracula Parisienses & Romani scrutantur, Galeni vestigia premunt Patavini, & Arabum doctrinæ hæredes se jactant Monspelienses, ab Avicennæ &

Averrhoes discipulis ad se translatae, quae olim in Cordubensi Academia longa seculorum serie Maurorum diligentia floruerat. Omnium sectatores Germani Paracelsicam quoque Medicinam reliquis amica copula jungunt. Sed in nova prorsus ex experimentis condenda desudant Britanni ingeniorum fertilitate & subsidiorum necessariorum copiâ fortunati. Longum nimis foret enarrare singula quae omnis parturit tellus, Medici observatione hoc seculo digna. In genere quaedam notavit *Galenus* L. quod Opt. Med. sit Philosophus, quae in urbibus & regionibus intueri proprijs oculis necesse est; situm nempe, aquas stagnantes, fluviatiles, calidas, nitrosas, aluminosaeve, & si quae alia ejus generis sunt. Propius ad rem accedens *Jo. Steph. Strobelbergerus* de Gallia tentavit aliquid in Descriptione Galliae Politicae Medicae, de qualitatibus Regni Gallici, Academiae, Urbibus, Fluvijis, Aquis medicatis, plantisque in Gallia nascentibus disserens. Ad reliquas Medici orbis partes nemo, quod sciam, progressus est ea methodo describendas magno peregrinantium Medicorum subsidio. *Zuingerus* quippe in Methodo peregrinandi, in generalibus subsistit, cathedrae utilior quam itineri Medico. Praeclaro opere quicumque defungi voluerit, magnam gratiam initurus est, ut velut in tabella videant medicinae candidati quid in peregrinatione observare conveniat medico studio conveniens. In

Itine-

Itinerario Medico simile quid olim meditatus fueram, sed alijs impeditus, fortuna iniqua intercedente, curam illam deposui. Non ingratum mihi erit, hac ad Nepotem filiosq; scribendi occasione, quædam recolere in itinere Italico Siculoq; à me olim observata, ut si Deus & fortuna illos meos charissimos illuc perduxerit, cum meis conferant, & plura annotent à me in transcurso neglecta vel non visa. Nihil præfabor de Italia, plerorumq; vestigijs calcari solita. Ejus tantum partem, Campaniam nempe, Calabriam & Siciliam percurram, ubi naturæ contemplationis, & Medici studij gratia diutius quam ab alijs fieri solet, hæsisse me non diffiteor. Quantum memoria suggeret grata recordatione repetam.

Relicta Roma in territorio Tiburtino reperitur Aqua Albula antiquæ famæ, Æsculapio, Hygiænæq; olim sacra, morbis multis sanandis celebrata. Sulphuream antiqui putarunt. Unde *Martialis* L. I. Ep. 13.

Canaq; sulphureis Albula fumat aquis.

Galenus passim harum aquarum meminit, sed aluminosas vocat L. 8. Meth. Med. c. 2. alibiq;. At *Andr. Baccius* L. de Therm. per destillationes invenit misturam esse ex alumine cum suis partibus falsis, & non nitrosis, quia non potest esse alumen sine sale, & nitrum in Italia non fit, notante *Plinio*: cum aliquo tamen sulphure manifesto. Aliqui addunt ferrum, quo abundat ager

Romanus. Multa alia in hoc territorio videntur, quæ alij quoq; tradiderunt. Al monte Circello, qui locus est Ducis Caetani, ornus seu fraxinus copiosè crescit. Curvo cultello truncum arboris scindunt custodes loci à superiori parte ad inferiorem, deindeq; post exactum tempus trium hebdomadum, mannam ex vulnere colligunt, quæ à superiori exstillans aquæ glutinosæ instar, tandem à Sole indurescit, ligneoq; cultello excipitur mensibus Augusto, Septembri &c. magnoq; pretio divenditur, Libra quippe una Julijs tribus redimitur. Mannam sforfatam vocant, qua Romæ libentius loco Calabrinæ utuntur. Si pluviam interea arbores madescant, diffluit & manna. Quam ipse ibidem collegi servaviq;, & à Calabrina parum differre observavi. Sueffam in monte transivimus, patriam Augustini Niphi, Philosophi magni, ubi vasa conficiuntur, quæ pro Museo asportavi, ex terra singulari aureis puncticulis distincta. Hic linum quoq; optimum & subtile crescit, quale veteribus Caetanum celebratur.

Neapolis amplitudine sua & magnificis operibus, omnium in se oculos convertit. Mihi naturæ Medicinæq; gratia diu placuit, hospitis mei M. A. Severini familiaritate adjuto. Mea quæsi, cætera alijs relinquens. Medicos consului, quos illa tempora ferebant, clarissimos. Inter quos familiam duxit *Marius Schipanus*, Proto medicus regni, senio venerandus, in omni medicina vera

solidè

solidé eruditus, paterna amicitia mihi colendus, qui amplam fortunam in publicum Collegium à se erectum consumpsit: Auctor electuarij de Betonica & mellis rosar. sol. aurei, de quibus videntur Antidotarium *Donzelli*. *Antonius Santorellus* in Gymnasio Neapolitano Professor Theoricus primus, sed ab illo secundus dignitate, varijs scriptis erudito orbi innotuit, Antipraxi, postpraxi, de sanitatis Natura, de Vesuvio. *Io. Dom. Maliocckus* tria volumina nuper tam in orbem misit ex varijs composita, sed universam Medicinam complectentia. *Donat. Anton. Stella P. P.* multa premit & musei carceribus coercet, interq; ea Physiognomiam Medicam, in Aphorismos commentaria, aliaq; demorsos ungues sapientia. *Nic. Angelus Eliseus* Practicæ Medicinæ Professor, magis ad doctrinam compositus quam pompam, de Febribus ostendit quantum experientia valeat, & in Vesuviani incendiij descriptione, quantum eruditione possit. *Paulus Æmilius* olim in Gallia, jam domi feliciter exercet medicinam, aqua præsertim sua polychresta. *Onufrius Riccius P. P.* phil. de sympathia & Antipathia famam publicam aucupatur, alijsq; monumentis. De *M. Aur. Severino* nihil dicam, qui scriptis in orbe notus est, & manu prompta, mibiq; cottidiana consuetudine perutilis. Tandem *Josephus Donzellus* Chymicus & Botanicus excellens tacendus non est, cujus Antidotarium Neapolitanum, Dissertationes de Bal-

samo

samo Orientali, & de Calchanto ab eruditis laudantur. Tanta Medicinæ lumina mihi Neapoli præfulserunt, ut alia silentio involvam, nec beneficio nec injuria mihi nota. *Julium Fasolinum*, parentis amicum, fati cessisse ante adventum meum dolui, memoriam tamen ejus revolvens subinde in æde S. Claræ, ubi Epitaphium magnifico opere erectum cernitur: Cujus Epitaphij autor est *P. Ursus*, sicut ipse refert in Libro de Neapoli. Pharmacopolia numerantur 120, præter Monasteriorum infinitas officinas, Barbitonfores 500. Museum rariorum *Ferrantis Imperati* Pharmacopolæ summi instructissimum hodieq; visitur, de quo Aldrovandi ad Imperatum ibidem extat Epistola, qua Museum illius comparatur mensæ divitis, cujus micæ sufficerent adornando Museo Ulyssiano. Historiam Musei descripsit Filius Franciscus, ejus Nepos jam bonis potitur, & Pronepos, supra ætatem rerum gnarus, exteris ostendit. Neq; tamen Franciscus autor est Operis, sed *Colantionius Stelliola*, cujus in præfatione meminit, præceptor Schipani, Severini &c. Rariora quæ ibi observavi, alibi non visa, perpauca fuere. Pygmæi sceleton parvum vix palmam longum attentius consideravi, quod factitium credo, non naturale. Aquilinaris lapis capitis magnitudine perrarus. X Volumina Herbarum Vivarum propria Imperati manu agglutinatarum merentur admirationem, quod temporis edacitatem effugerint. Piscis à tergo cornu-

cornutus, Cornu Bezoar & pili ejusdem, mineralia infinita & metalla, Lamiae caput, byssus ex eoq; linum, sericum syriacum sine arte factum, purpureum, lapidis stellaris innumeræ species, viperæ bicipites, foetus biceps, inter alia rara tum placebant. In Musæo alio *F. Donati Eremitæ*, olim pharmacopolæ ad S. Catharinam Monachorum, varia extant, egregij furni, sceletaq; variorum animalium. Ejusdem cura prodijt Liber de Arte Pharmaceutica, item de Elixire Vitæ, quorum tamen opusculorum autor creditur *Petrus Castellus*, qui apud illum diverterat. Descriptionem floris Passionis cum figura elegantem idem Donatus publicè dedit. Nosocomium beatæ Mariæ Annunciatæ magnificum est & opulentum. Inferiori cœnaculo febres omnes tractantur, superiori vulnera. In supremo recto locus amœnus & patens panditur, in quem admittuntur qui convalescunt ut se reficiant & aëri assuescant. In infima parte ad latus dextrum peculiare cœnaculum moribundos & conclamatos excipit, quibus vicini adsunt Patres Reverendi. Singulis febricitantium lectis tabula lapidea affixa est, in qua certis signis notatur dies quo quisq; æger medicamentum & quoties assumpsit. Incurabilium Xenodochium quoq; est amplissimum, cui inserviunt duo Chirurghi ordinarij, totidemq; Assistentes, duo Medici, & unus Mulierum. Assistentes eliguntur præmissis examine Medicorum & Chirurgorum doctiores,

D

præ-

præsente Præside. Bibliotheca S. Joannis Carbonarij referta multis Mstis, etiam Medicis, Dioscoridem habet elegantibus figuris ornatum, sed à curioso quodam herbæ omnes ordine alphabetico dispositæ sunt. Hippocratis Aphorismi cum Galeni Commentarijs latino sermone scripti A. C. 1380. ibidem extant, uti & Mesues particula, Columella & Cato de Re Rustica, Solini duo, Plinius, alijq; codices manu exarati. In Palatio prope S. Biage Bibliopolarum inter alias statuas antiquas Caput Colossiæneum singularis artificij & magnitudinis in pariete affigitur, quod equi fuit olim in area Episcopali, quam ægroti equi circum curritasse feruntur, statimq; sanati, forsan motu adjuvante. Cæterum medendi rationem Neapolitanorum tradidit *Severinus* in *Therapeuta Neapolitano* à *Gregorio Villano* edito Neapoli 1653, & alij supra laudati recensent, ut opera hac supersedere hic possim. Morbi frequentius hic grassantes & velut endemij, sunt roseolæ saltantes, quia ob ædificiorum altitudinem Solis lumen excluditur, vescuntur incolæ carne bubula, brassica cum lardo. Pædanchone maligna seu Angina puerorum suffocativa vel epidemius morbus ab anno 1618. velut pestis invadit pueros, inficitq; alios & enecat. Inficiuntur quidem & majores natu, sed rarius, & facilius curantur, quia medicamenta lubentius admittunt & gargarismos. Ex Cometæ fatalis influxu hanc læem deducit *Elisæus* c. 9. de Vesuv.

Erysipelata frequentia non movent Medicos ad sui curationem, sed naturæ relinquuntur. Plerosq; alios morbos sanant decocto falsæ parillæ. Medicamenta verò alia majori dosi exhibentur quam alibi, ob corpora ficciora incolarum. Et praxis regni totius jubet jusculum pulli sine sale exhibere duabus horis post assumptum medicamentum purgans, si successus protrahatur. Venæsectionem in quovis dolore capitis suadent, parcé tamen admittunt, quia externus calor spiritus dissipat. Sanguisugæ frequentes sunt, quæ vasculo calidæ aquæ immittuntur, cui insidet æger, unde sæpe vidi fistulas ano excitatas in Nosocomio Incurabilium. Vesicatoria & fonticulos primus Neapolin introduxit Schipanus. In vulneribus omnibus quovis tempore oleo rosato utuntur, contra quem morem invehitur in Restituta Chirurgia *Severinus*. In vulneribus thoracis ampliant externum vulnus, relicto interiori; sed non videtur dilatari debere externum, ne aër frigidus penetret, spiritusq; facilius qua data porta exeant. Interior verò canalus amplior requiritur pro puris exitu. Nisi aëri benigno fidant. Est quippe saluberrimus; ventilatur mari vicino & ab Oriente quoq; mons Appenninus pervius patet, solum quoq; calidissimum & sulphureum, quod aërem mundat corrigitq;. De æstate dicunt: quanto piu caldo, tanto piu sano, quia semper aura ventilatur gratisfima, & si cum Romano aëre Neapolitanus commutetur,

exitium inferri putatur ob vapores ibi elevatos, nisi Boreas spiret, vel pluvia largior superveniat. Experientiæ consentit *Quercetanus* in Diætet. quia aër Neapoli subtilis, Romæ crassior, Et mutatio periculosa ad contrarium, Romæ quippe aër per apertos ante poros penetrat. Hinc mihi cordatè suavit *Schipanus*, ut fugerem motum, insolationem, mane sumerem succum limonum, parcè cibo potuq; indulgerem. In vino Surrentino, quod hodieq; Neapoli bibitur, etiam à febricitantibus, magnam differentiam advertere licet ab illo qui Galeni ævo in usu fuit. Illud oligophoron est, tenuissimum, nec calidum, nec adstringens. Galeni verò contrarijs qualitatibus præditum, & præterea vigesimo anno potui aptum dicitur l. i. de Antid. c. 3. Cujus varietatis causa non est loci diversitas, sed incolarum mutatio, qui jam ad quæstum callidiores, excisis veteribus vitibus, ex quibus tarda lucris spes, novas substituerunt Surrenti, quæ vinum statim usibus aptum fundunt, & copiosum, quia aquosum. Aliam rationem cau-
pones & mangones vinorum suppeditarunt *Fr. Ant. Caserta* Quæst. ix. de Vin. Art. i. quod maximus vinorum aspriniarum in Campania & prope Neapolim sit proventus, quia tales uvæ, acidæ cum sint, latronum non ita subiciantur insidijs, & copiosius ferant vinum: contra verò accidere de vitibus & uvis græcis hoc tempore vocatis, quibus id circo ab agro Atellarum ferè extirpatis &

aspri-

asprinijs insertis vitibus, non amplius in hoc agro vinum græcum, sed asprinium progignitur. Tantum valent immutare secula. Vina verò ista asprinia nive quoq; refrigerantur ut palato sint gratiora. Neq; enim vina saccharo adulterant, more nostrorum, Cum dulcia habeant sua natura, nigra & crassa, vulgo dicta Mangiaguerra, & lagrimæ Galicti; album & crassum, Græcum vocatum; mediæ naturæ alia ex Pausilipo, uti & Chiarellum, & Codacavallo. Saccharum quidem olim ex cannis confecerunt Neapolitani, sed, quia paludosum locum, quem cannæ requirunt, aëris salubritatem corrupisse experti sunt, ut sibi consulerent, istud intermiserunt. Majori cura nitro incumbunt, quod extra portam, qua Romam itur, ex terra candida quam ex cellis vinarijs erunt, vel stercore caprino sicco, excoqvunt. Nec mannam negligenter, si liceret, ex fraxino colligendam, quippe minus virium habere dicitur, & Calabrinæ postponenda, idq; Medici cujusdam Calabri, ut fama est, quæstuoso astu, qui obtinuit à Rege Hispanorum edictum, ne manna Neapolitana, velut noxia, vendatur aut colligatur, quod tamen clam eluditur. Ex mari piscatores varios pisces foro inferunt, inter quos polypi, torpedines (ex quibus torpedinem sibi induci testantur,) lupus marinus, columbus marinus, pastinaca marina, de qua *Rondeletius* & *F. Columna* Phytobas. p. §. 9. Cujus cauda longa est & aspera, cum aculeo

medio, quem ad varios usus adhibent. *Severinus* eo apostemata aperuit. Conchæ anatifæræ, ricinus marinus variorum colorum pinnis mobilibus quoq; forum piscarium ornant. Caseus ex Buffalis in usu est duplex, durior & pinguior, quem vocant Provola, butyro abundans, quem etiam pectore laborantibus concedunt. Ex Sueffana urbe melior affertur in formam utri compressi. In itinere Salernitano eo famem sedare coactus sum. De vulva Bubalina exsiccata monuerunt me curiosi, odorem moschi referre, ideoq; in unguentis adhiberi à myropolis Neapolitanis. Ficus optimæ hic censentur, quas vocant Paradisi, quarum notæ sunt, ut sint instar pauperculi, furis suspensi & habeant lacrymam meretricis. Mala insana frequentius comeduntur, quæ optimè Monachæ præparant, melancholicum tamen gignunt sanguinem, quem colore referunt. Quo modo aliás in Italia præparentur, describit *Matthiolus* ad L. IV. Dioscor. c. 71. De œconomicis nihil addo, nisi quod vasa pro vino servando rustici & Urbis incolæ conficiant ex ligno Cerasorum, in quibus vinum & aqua semper odorem cerasorum referunt. Ex multis pauca notavi, ut monstrarem obiter quanta peregrinantibus medicis observanda occurrant. Sed majora vicinæ Puteolæ subministrant, & Ænaria Insula, in quibus tantus terrarum est calor à sulphure æstuante, ut Vulcanum hic habitare credas. Integra volumina de
 harum

harum antiquitatibus, præsertim balneis scripserunt alij, interq; eos *Jo. Fr. Lombardus*, & *Julius Jafolinus*, ut longum foret hic singula recensere. Naturæ certe minerali hic campus panditur, sulphurisq; regnum viget, quod ut magis pateret, translato monte radices suas aperuit. Hinc tot thermæ sulphuræ hic morborum usibus profant, ut nusquam alibi copiosiores. Putcolis sequentia balnea famam acceperunt: S. Anastasiæ, Arcus, Arculi, Astruni, balneoli, Braculæ, Calaturæ, Cantarelli, S. Crucis, Culinæ, Fati, Ferri, Fæniculi, Fontanæ, Fontis Episcopi, Foris criptæ, S. Georgij, Gibborosi, Iuncariæ, S. Lucianæ, S. Mariæ, S. Nicolai, olei petrolei, Ortodonici, Palumbarij, Petræ, Prati, Pugillij, Ranerij, scrophæ, Silvianæ, Solis & Lunæ, speluncæ, subveni homini, sulphur. aquæ, subcellarij, sudatorium Bullæ, sudatorium S. Germani, sudatorium Trituli, Tripergulæ seu Veteris, Trituli. Pithecusis verò balnea numerantur, Castilionis, Cytharæ, Dimidiæ viæ, Doyani, Fontis, Furnelli, Gurgitelli, Nitrosi, Plagæ Romanorum, Scrophæ seu speluncæ, saxorum, succellarij, sudatorium Cocti, Ulmitellæ. Summa, quia tota regio sulphurea, incalescunt aquæ, & terra fumat accenditurq;, ex illa verò parte quæ sulfatara propriè appellatur, calcatur pedibus sulphur, quod maxima quoq; copia quotannis effertur à mercatoribus. Vulgo narranti si credimus, triplex sulphur eruitur, foedum candidius, quod

in caminis fundunt Neapoli, medium, viridius, splendensq; ex quo oleum exstillat, & flavescens, ex quo negant oleum perfici. Quot beneficia ægrotis sulphuris hæc abundantia confert, tot sanis affert incommoda, propter terræmotus frequentes, à quibus tuti esse non possunt, tremente sæpe urbe amplissima Neapoli, cujus infortunium vitaturi in grotta Nervæ Coccei apud Pausilipum se abscondunt. Fructus omnes in agro Putcolano citius quidem maturescunt, sed citius corrumpuntur, ut fraga, Armeniaca, cerasa, & gustus suavitate cedunt alijs. In ænaria Insula, Ischias dicta, olim Pitecusa, Poëtis Inarime, præter balnea jam laudata, ex quibus tamen Gurgitelli maximè hodiè frequentatur, prope locum dictum la Fichera mirabilis est stupha, & longus tractus arenæ mineralis, calidissimæ, cum balneis ad ripam & juxta mare, ubi est sudatorium, ebullit aqua boni saporis cum bullis sonantibus, in qua coqvuntur pisces, carnes &c. brevissimo tempore. In Dojano omnes ripæ splendent ob copiam magnam nitri quod nascitur ibidem. Aquæ Nitrosæ effectus mirabilis deprædicatur, quod positum in ea linum spatio trium dierum maturum reddat, album & perfectum. Cujus virtuti quoq; adscribunt, quod incolæ sani & longævi vivant, mulieresq; pulchritudine excellant. In rupibus Ischiæ versus Pomarium Nymphæ, copiosæ sunt arenæ nigræ, ferreæ, quæ ferrum trahunt sicut magnes. Ibi quoq; est

mine-

minera Auri à Campagnano vicino capellæ S. Sebastiani, cujus auri experimentum fecerunt Veneti, teste *Jo. Elifio*. In tanta naturæ rerum segete pergenti ex altero latere Urbis Vesuvius mons Plinij exitio nobilis occurrit, qui nuper tum A. C. 1631. in Decembri flammæ, lapides, sulphur &c. eructans arserat, fluvios vicinos exsiccarat, cineres latè Venetias usq; sparserat, & vicinas civitates merferat. Torra quippe Græcorum, nunc Ducis de Medina, inter Salernum & Neapolin, quam pertransij, cineribus illis ferè tota tecta est: nec exinde fumare desijt Vesuvius, superstite in fundo voraginis sulphure, quod ebullire vidi cum A. C. 1643. in Novembri montem adscenderem. Ultima hac flammæ cinerumq; inundatione ager quoq; Tabianus inter Surrentum & Neapolin medius, ita corruptus est nimio ardore & siccitate, ut quem siccitate moderata commendavit *Galenus* l. 5. Meth. Med. c. 12. nunc noxium experiantur qui pectore ægrotant. In via ad Salernum frequentes occurrunt scaturigines aquarum dulcium, quas vocant aque del Capillo Venere, quia vicini colles hac herba alijsq; abundant. Loci antiquitate & celebritate Doctorem Salernitanorum ductus, Salernum ingressus, scholam Medicorum vidi prope templum Cathedrale S. Matthæi, peristylijs antiquis ornatam. Silentes jam Doctores inveni nullaq; fama publica notos, qui olim celebritate nominis orbem implerant, Regiq; Anglorum

carmina sua Medica dedicarant, sed nimio invidiæ
 æstu flagrasse dicuntur. Destruerunt enim, si
 fides narrationibus, clam noctu Balnea Puteolana
 præstantiora, in quibus salutaria remedia fuerant
 scripta cum modo utendi, quæ exinde balnea ad-
 huc desolata jacent & confusa, quanquam hoc
 tempore conati sint diligentius relaxare. Sed in-
 vidia poenas Salernitani luerunt, in reditu enim sub-
 merfos ferunt. Urbs ipsa occidenti obversa, sed
 ad latus Orientale montibus cingitur, unde æstate
 febres lethales grassantur. Laurea Medica Candi-
 dati in Schola hæc celebri ornantur præmissò exa-
 mine textus Hippocratici & Aristotelici, & præ-
 stito juramento professionis fidei, qui iecircò loci
 antiquitate & reverentia, licentiam impetrant
 exercendi medicam artem non solum per totum
 Regnum Neapolitanum, inconsulto Protomedico,
 sed per Imperium Romanum universum. Cum
 omnia ad delicias & necessitatem hic affluant, po-
 ma tamen Appia maximè laudantur, odoris & sa-
 poris gratia, de quibus ipsi Doctores:

Omnia mala mala præter Appia Salernitana.

In Calabria reliqua, (in qua tanta est tem-
 porum anni temperies, ut apes nunquam ab opere
 cessare dicantur, unde mel non crassum aut au-
 sterum, sed odoratum candidumq; prodit,) naturæ
 dotes copioso proventu luxuriant in metallis, mi-
 neralibus, lapidibus, herbis, fluminibus, quas
 libello quinto complexus est *Hieronimus Marafioti*

de Antiq. Calab. impress. Neapol. 1595. Præcipua libabo, à me visa in transcurso. *Manna* Calabrina usu se commendavit officinis Europæ, quam ex arboribus collegi, mecumq; itineris mei comites copiosius avidiusq; propter dulcedinem illâ vescentes, diarrhæa succedente peregrinantibus molesta. Colligitur illa solstitio æstivo mensibus Junio, Julio & Augusto in arboribus Orni & Fraxini. Duplex est, naturalis, Artificialis. Illa ex cœlesti rore in frondibus Orni hæret, & ex fraxini nodulis exstillans sua sponte provenit, quam mannam del corpo vocant, cariorem & ponderosior em artificiali. Hæc ex fraxino stillat per truncum dissectum cultro, vel securi alternis ictibus circum circa, quam vocant sforzata, excipiturq; cultris ligneis & imponitur vasis ligneis vel osseis ne inficiatur color. candidior est vel nigra pro calore anni vario, & cum exstillat, expanditur in mensa ut à sole absumatur humiditas & aciditas quæ suavitatem impedit. Id iterato faciunt. Pejorem mannam, quam Bragerola vocant, nullius pretij, transcolant per cribrum impostores, ut in ciceris formam redactam pro manna foliorum vendant. Cicadæ suctione sua ornum aperiunt, ut fruantur succo dulci, deinde per apertum foramen exstillat liquor. Bari Apuliæ ex genu S. Nicolai liquor funditur, quem vocant mannam de S. Nicolao, febribus commendatam, quam deferunt religiosiores, sparsamq; in terra credunt

sponte redire ad corpus suum. Putavit verò *Sanzorellus* Medicus Neapolitanus aliunde translata esse, vel à Patribus religiosis afferri, quia simile quid Neapoli actum, posse quoq; à corpore vicino recipere aliquam virtutem. Sacchari quoq; cannæ in Calabria crescunt circa montes meridionales, unde tanta sacchari copia excoquitur, ut naves onerarias impleat. Salini montes duo prope Montem altum visuntur, ex quibus sal excavatur. Solida & rotunda frustra ibidem inveniuntur, unde corollæ precariæ fiunt. Salubrius hoc marino credunt incolæ, quia oculos non lædit, sicut illud. Notant quoq; sal gemmæ in fodinis esse mollius, deinde aëre indurescere, unde in ipsis fodinis artificiosè quamcunq; figuram inducunt. Splendidiores fodinæ partes, oculum salis vocant, quod splendide luceant. In Basilicata in saxis montosis inveni glossopetras similes Melitensibus, quamquam colore varias, & conchyliæ alia petrae impacta. De Tarantulis Apuliæ *Kircherus* tam multa & erudita posteritati tradidit, ut Iliada post Homerum scribere nemo ausit. In oppido & castello Paula maritima XII. leucis distante à Cosenza, vidi de nocte lampyridum volatilium immensum numerum, quæ lucem flavam magis quam cœruleam spargebant. Hinc adscenditur per colliculum ad Monasterium S. Francisci, ubi S. Franciscus de Paula habitaverat. Ibidem fons est limpidus ejusdem nomine insignitus, in quo ad vitam dicitur

dicitur revocasse pisces affatos ad se delatos, in
 cujus rei fidem servatur in templo patina, in qua
 cocti & refuscitati. Vim veró habere ferunt con-
 tra omnia oculorum vitia & pectoris si bibatur,
 ejusq; aqua lavetur facies. Limpidam gustu de-
 prehendi, nulliusq; saporis more aliarum aquarum
 quæ bonitate se commendant. In hoc Monaste-
 rio conveniunt mulieres infecundæ, ut sancti Viri
 intercessione imprægnentur, quod olim evenisse
 Imperatoris Conjugi Reginae Hispaniæ & Galliæ
 traditur. Harum usui destinantur cubicula infe-
 riora, in quibus feminae steriles per triduum com-
 morantur. Quid interea negocij capessant, ignoro.
 Ex terra hujus collis conficiuntur vascula rubra
 elegantia similia terræ sigillatæ. Ad Siciliam na-
 vigio tendenti apparuerunt insulæ Ænariæ, interq;
 eas Strongyle, insigni fumo de die, noctu veró,
 præsertim spirantibus Zirocchijs, flammis illustris.
 Propius admovimus vela, ut accuratius lustrare-
 mus. Sæpius hic oriuntur tonitrua horrenda, ut
 diabolus credatur inhabitare locum, & navibus
 tutæ statio hic nulla datur, nisi sanctæ crucis signo
 munitis. Pumices hinc prodeunt & ex ignito
 monte ejiciuntur. In hoc mari frequentes Del-
 phini celeritate navem nostram plenis velis ven-
 risq; promotam anteverterunt. Paucis ab hinc annis
 in quadam harum, Insula nempe Vulcania, intumuit
 aliqua pars terræ, & cum sono in collem quen-
 dam elevata videbatur, ex quo tandem rupto

Spiritus multus exiliens favillas & cineres projecit, quibus omnes ferè civitates vicinæ perierunt. Pharo in Siciliâ salutata vicini lacus duo occurrerunt antiqua religione celebres, Saturni unus, ubi olim sanum seu Neptuno seu saturno Sacrum. Hodie salinæ sunt, ubi excipitur aqua & à sole corretur. Salsæ enim sunt aquæ & vulnera statim glutinant. Prope trajectum Messanense Aloës ad arboris magnitudinem crescit. In angustijs maris inter Calabriam Siciliamq; scylla est & charybdis veterum, de quibus videndus *Strabo* l. 6. & *Justinus* l. 4. c. 1. Scylla saxum est *Pomponio Mela* l. 2. c. 7. charybdis mare, utrumq; noxium appulsis. Saxum non apparet, nisi mari tectum, charybdis undarum inse concurrentium pugna amicè tamen nos percudit, ad Messanam in Pelori sinu festinantes. In Urbe hac splendida fons Zancle est ille qui hodie dicitur Pozzo Leone. Nymphæ creditur fons, unde hi versus subijciuntur nomine Nymphæ Zancleæ:

Encelidi flammam fugiens per operta viarum

Hic caput attollo Nympha perennis aquæ.

Cum mea sensissem venturam ad littora classem

Protinus exilij Nympha latentis aquæ.

Per urbem fluvij nulli. Iccirco in singulis ædibus aqua dulcis apportata à bajulis servatur in urnis lapideis grandioribus. Gigantum hic olim sedes à Saturno parente constituta. Illorum ossa eruta fuere in loco eminente, qui in gratiam Capucci-

norum

norum æquatus solo jussu Philiberti Principis fuerat, quæ postea contracta periere. Gymnasium publicum quatuor Auditorijs illustre est, Theologico, Juridico, Medico & Philosophico. Medicinam tres Professores docent. Primum locum Praxeos post excessum Jo. Bapt. Cortesij occupat hoc tempore Pisanus, secundum locum Theorices Petrus Castellus Romanus. Philosophiæ primus locus vacabat, ad quem amplo stipendio me invitatum memini: secundum occupabat Placidus Regna Vir Doctus & à multis Viris Illustribus publicè laudatus: Tertium obtinuit Jo. Dom. Profimi Mamertinus. Scriptores in Medica Arte pauci fuere. Inter omnes eminet Petrus Castellus amicus meus, varijs Operibus editis, præsertim Anatomicis, Pharmaceuticis & Botanicis per ora eruditorum volitans. Pisanus in lucem emisit Antidotarium Messanense, 1644, quod plenum Barbarismis à Pharmacopœo compilatum narrabat Castellus. Jo. Dom. Profimi J. Med. & Phil. D. de Abscessu puerorum suffocativo 1643. Messanæ divulgavit Dissertationem. Andrea Trimarchi Anatomiam ex Gal. Hipp. Avicenna &c. carmine vulgari conscriptam vidimus, editam 1644. & Ant. Oliverij Apologiam contra Licetum de Abortu. Hortus Messanensium in fossis urbis erectus nuper fuerat opera P. Castelli cum officina chymica, theatro Anatomico, sacello. Plantas horti singulari Libro consignavit idem Castellus Messanæ 1640.

Nosocomium amplum è regione Collegij, ex septem parvis compositum est, secretis habitationibus Capuccinorum Patrum, mulierum & exterorum, in quo Medicus Pisanus valetudinem ægrorum curat. Quinquaginta anni effluerunt, quibus Theriaca hic nulla fuit Dispensata, sed Venetijs, Româ, Neapoli, Alexandria accersita. Sed nostro tempore Priore Collegij Petro Castello Jo. Dom. Cardullus ad insigne S. Georgij illam composuit, cujus dedit Descriptionem autore eodem Castello, allatis ex Sicilia & Calabria simplicibus optimis. Oleo sesamino copioso gaudent, cui Romæ substituant amygdalinum. Hic enim sesamum ad eó abundé provenit, ut pani atro inspergatur sapore gratissimo. Valeriana Sicula rubra in horto Castelli, Ronpiquartana Messanensium, in acetarijs utuntur, cum passim per semitas copiosius nascatur. Inter Morbos vulgares incolas affligentes, sunt Hypochondriorum flatus, quos feliciter dissipat Castellus Electuario suo Diatartaro, quod exhibet pondere Unciali hora una ante prandium larga succedente expurgatione. Alternis diebus idem lue Venerea laborantibus præscribit. Quia ad paucorum notitiam pervenit perutile Electuarium Castelli, etiam nostris terris percommodum, non gravabor hic ejus descriptionem repetere communicatam à Jo. Petro Cervino Nepote Castelli, editamq; Messanæ 1644.

Rec. Tartari vini albi subtilissimé triti, & cribrati

Senæ electæ an. Unc. i. ſ.

Mannæ el.

Sacchari rub. an Unc. i.

Zinziberis

Aniforum

Cinamomi

Galangæ minoris an. Drachm. i.

Syrupi rofacei solutivi Unc. v.

m. ſ. Elect. ſ. a.

Sumpto hoc superbibendæ sunt juris carni-
um Unc. jv. ut facilius succedat operatio. Omnes
officinæ Messanenses electuario isto repletæ sunt
magno lucri commodo, & in tota Sicilia, proxi-
maq; Calabria adeo decantatum est Diatartarum
Castelli, ut omni alio cathartico præferatur. At
quia delicatioribus dosis Unciæ nauseam excitat,
rogatu Illustris Equitis Messanensis, in formam
Julapij transmavit Castellus, palato gratiorem,
hoc artificio:

R. senæ electæ Unc. VI.

Zinziberis

Galangæ minoris an. Drach iij.

Infusionis rosarum solutivæ Lib. iij.

Misce. Infundantur in vitro bene clauso, loco
tepedo, vel balneo Mariæ per 24. horas, fiat ebul-
litio, coletur, & clarificetur, tunc adde

Sacchari albi Unc. viij.

Crem. Tart. Unc. ſ.

Bulliant, clarificentur, tandem adde

F

Aq.

Aq. Cinamomi ex Vino destillatæ Unc. ℞.
 Ol. Anisorum. scrup. ℥.
 M. & s. a. f. Julapium.

Dosis minor ad Unc. ℥. major ad Unc. ℞.
 sed quia tutissimum medicamentum, sæpe exhibet ad Unc. i. ℥. vel Unc. ij sine ulla molestia quinques vel sexies post duas vel tres horas à cibo benignè alvum sollicitans. Angina suffocativa puerorum frequens hic loci, invadit etiam Parentes si cum filijs conversentur, quam curat Castellus solo laxativo ex syr. ros. & melle, nam Venæ sectionem inutilem deprehendit. Vina Mamertina generosa sunt & grata, præsertim annosa. Hinc *Martialis* l. 13: Ep. 117.

Amphora nestorea tibi Mamertina senecta
 Si detur, quod vis nomen habere potest.
 Et publicis epulis à Julio Cæsare nobilitata
 fuere, teste *Plinio* l. 14. c. 6. In ciborum delectu parciores sunt Siculi, quibus lardum cum pane calido in delicijs esse solet. Pisces tamen expetuntur, quos mare mittit. Murænam ibi tam pinguem grandemq; cantat *Martialis* l. 13. Ep. 80. ut cutem sole exustam mergere non valeat. Piscatura celebris est mense Majo & Junio piscis Xiphia, magni & carnibus esculentis præditi, quem instar Balænarum sectantur & capiunt. Gladium, quem ore gestat, dono Castellus accepi, ut & oculus, cujus cornea tunica crassa & dura, flavaq; cum crystallo duro. Alia piscatio celebratur piscis Tundi

ejus

ejusdem magnitudinis & formæ, sed nullo gladio
 terribilis, cujus locum occupat in fronte globulus
 quidam. Caro huic durior & rubicundior. Ossa
 aliqua legi ad littora Siciliae prope C. Passaro. Mense
 Septembri tertia piscis alterius, quem Bauri vo-
 cant, captura succedit. In templo Cathedrali B.
 Mariae prope Altare in lapide Granito Siculo co-
 lumna extat cui innititur vas aquae lustralis, cum
 hac inscriptione:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
 ΚΑΙ ΤΡΕΙΑ
 ΣΩΤΗΡCΙΝ
 ΠΟΛΙΟΤΧΟΙC

Postica parte: ΑΙΛΙΩ ΑΔΡΙΑΝΩ
 ΑΝΤΩ ΝΕΙΝΩ Ι
 ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤΕΕΒΕΙ

Π Π

Quæ ita vertit *G. Gualtheri* in Antiquæ Siciliae Tabulis

Æsculapio	Ælio Hadriano
Et Hygiæ	Antonino
Servatoribus	Angusto Pio
Urbis tutelaribus.	Patri Patriæ.

Varia Naturæ ostenta in Museo Castelli mihi
 ostensa alibi in Epistolis Medicinalibus annotavi,
 nec repero. In itinere terrestri Catanam versus
 occurrunt Morus albæ pro bombycibus frequen-
 tissimæ, sed frequentiores nigræ, quibus in Sicilia
 magis vescuntur bombyces. Deinde pervenimus
 ad urbem Tahorminam, quæ an Tauromjanum

sit Melæ dubito. Huic imminet mons arenæ ru-
 bræ vel saxeus rubro colore. Hinc saxoso & in-
 vio itinere ad molam saccharinam prope mare
 sitam devolvimur, in qua ingens apparatus visitur
 instrumentorum, torcularium & furnorum. Quo
 modo saccharum suum hoc loco Siculi exprimant
 excoquantq; , quanquam Cent. 1. Epist. 54. per-
 scripserim ad Cl. *Waleum*, placet tamen hic repe-
 tere in gratiam illorum quibus forsân in itinere
 Liber meus ad manus non est. Mense Junio &
 Julio ex cannis exprimunt succum, quas prioribus
 mensibus selectas habent. Modus hic est; Can-
 nas primó minutim incidunt isti officio destinati
 ministri, deinde supponunt forti torculari expri-
 muntq; succum qui in subjecta vasa destillat. Lapis
 autem molaris movetur à præterfluente aqua. Se-
 cunda expressione supponunt reliquias sacco in-
 clusas pervio, communemq; succum injiciunt
 furnis capacissimis, largissimo foco calentibus, &
 quater coqvunt. Deinde in formis suis, quas
 campanas vocant, in modum campanarum con-
 fectas, instillant, in quibus inferiori parte foramen
 insculptum est, ubi reservatur per menses quatuor
 in cubiculo vel alio loco clauso, ut sensim indu-
 rescat. Exstillat per foramen humor crassior,
 quem melazza vocant, qui decidit in vas circum-
 positum, unde saccharum fit nullius pene valoris.
 Reliquus veró depuratur longiore temporis mora.
 Saccharum ex his locis nigrius est & ignobilius

culpa

culpa terræ & cannarum, præferuntq; illud quod in urbe Laqueduce inter Messaniam & Panormum conficitur, illud veró quod Panormo apportatur Messanenses ad cupedias utuntur. Hinc progressus sum ad agros saccharinæ arundinis nuper plantatos. Canna de Mele vocantur incolis. Plantantur arundinum radices in Februario, ex priori sectione superstites, ex quibus nova germina propululant, Cochili dicta, primo in loco sicco, mox ad humidiores translata, tandem matura secantur ad radices usq;. Singulis triennijs transplantantur arundines, tribus enim annis ex eadem radice prodeunt novi stolones. Arundinis pars inferior saccharo conficiendo, superior plantationi novæ inservit. Antequam Cataniam ingredimur, transitur flumen Freddo dictum, à frigiditate, qua æstate pollet tanta, ut ore vix contineri possit. Gustavi aquam, saporemq; deprehendi dulcem & frigidum, lacti æmulum. Oritur ex nivibus defluentibus e monte Aetna. Ad ejusdem montis radices sita Catania, magis antiquitate nobis spectata fuit quam rerum Medicarum accessione. Ager tamen Catanensis multarum herbarum fertilis, quæ à calore Æthnæ fovetur, vel communi solo sulphureo. Unde & thermæ hic olim frequentes, quarum vestigia hodieq; supersunt, & Thermarum Inscriptio in Columna quadam Ecclesiæ S. Agathæ legitur. Catalogum plantarum circa Æthnam nascentium consignavi *Cent. 1. Epist. 52.*

succum Liquiritiæ in pastillos redactum Catanenses Pharmacopolæ componunt, & ad Theriacam alibi mittunt. Tanacetum vulgare luteum ad summitatem montis Æthnæ calidiori tempore florens vidi, cum ægré per saxa & cineres ad medium montis adscenderem. Nix feré montem summum occupat, quam deinde Melitam delatam majori pretio quam vinum redemi. Summo tamen æstu imminuitur. Ardere dicunt spirante Zirocchio, sed ego flammam vidi intempesta nocte Syracusa rediens. Sed semper fumo se prodit. Varia spectacula præbuit ultimum incendiû 1635, sulphureo liquore torrentis instar omnia inundante, & obvia amplexante, arbores & lapides, hominesq; qui deinde concretus incrustabat ea quæ fuerat complexus. Partem hujus fluoris concreti mecum pro Museo Wormiano domum retuli. Cæterum regio vicina saccharo, croco, melle luxuriat, nec quicquam hic ad amoenitatem & fertilitatem deest, si securé singulis vesci possent incolæ perpetuo montis ignivomi metu occupati. Crocum Sicilianum tamen seu Centuripianum *Dioscorides* l. 1. c. 25. & *Plinius* l. 21. c. 6. reliquis postponunt, sed succi copia & coloris bonitate ad inficienda ligna commendatur. Est autem Centuripium oppidum ad radices Aetnæ, hodie dictû Centorbe, *Straboni* l. 6. Centoripis. Ætnæum mel celebratur *Apulejô* l. 1. Met. quod de Hyblæo accipit *Cluverius*, quæ urbs erat maritima inter Catanam & Syracusas.

Cujus

Cujus tantum nomen, propter ejus præstantiam, remanere *Strabo* monet. Negat *Petrus Carrera* c. 1. l. 1. de *Ætnæ* descript. quia hic mellis boni copia, nec de *Hybla* illa seu *Megara* inter *Catanam* & *Syracusas* accipit, sed de illa quæ inter tres ejusdem nominis in *Sicilia* titulum habebat majoris, comprehensa sub regione *Ætnæ*, parum distante à *Paterno*. Rariorum *Cataniæ* videndarum narrationem tradidit *Jo. Bapt. Rossus* Professor *Catanensis*, quo cum amicitiam contraxi cum urbem illam pertransirem. De *Ætna* veró laudatus *Carrera*, amicus pariter noster, plura scripsit in *Mongi-bello*. *Hieronymus Manna* Academicus Humorista Romanus in *Licandro* suo seu *Tragicomedia* *Pastorali* *Ætnam* quoq; carminibus inserit. *Syracusanis*, campum vidimus ubi olim *Syracusæ* fuere, jam quippe ad angustias redactæ, parvæ urbis. Inter rudera restat cellula concamerata instar conchæ *Dionysij Tyranni*, ex qua reduplicato sono ex inferioribus captivorum Christianorum carceribus secreta colloquia audiebantur. Vinum *Syracusanum*, *Pollæum* olim dictum, adeó celebratum, adhuc famam servat, hodieq; *muscadello* appellatur, generosum & sapidum, quod consumere inopia incolarum non valens per universum *Siciliæ* Regnum & *Melitam* mittit. Nec inferius est eo quod *Augustæ* provenit. Urbs est inter *Catanam* & *Syracusas*, ubi frequentes *Palme* videntur. *Caseus Syracusanus* *Athenæo* laudatus jam
sui

fui pretium, certé apud me, amiserat. In reliquis Siciliae littoribus, sal conficitur effossa in scopulis lacuna, ex qua intromissum mare, refluere non potest, hinc à sole exsiccat in sal, quod confici non potest nisi aqua quoq; dulcis affundatur. Trapano maxima salis copia exportatur, ubi etiam reperitur corallium nigrum, extatq; arbor ejusdem grandiuscula ex mari aliquando extracta, quam dedicarunt repertores B. Virgini, quia de dividenda dissidebant. Succinum hic, ut alibi, reperitur. Fodinæ salinæ invenias hinc inde, sed amarius sal illud gustui incolarum non arridet, nec corrigere tentant, quia alio sale abundant. Sunt & in media terra mineræ Lapidis Lazuli, quas vidi apud amicum. Alibi eruitur terra mineralis alba, medicata, ex qua pulverem cinericium conficit quidam *Hieronymus Claramontius* Leontinus Siculus, quem nomine Elixiris Vitæ dignatur, & Bezoar Minerale ex eodem Elixir cavatum magno magnatum applausu passim vendit, de quo librum confecit Genuæ primum, mox compendio Neapoli editum. Morbis varijs antidotum hoc præscribit: Febris omnis generis illis cautionibus quas ipse in opere p. 74. & seqq. annotat, Anginæ pestiferæ, sputo sanguinis, Cardialgiæ, Vomitus, urinæ ardori, urinæ superflua, urinæ sanguinolentæ, calculo, Ischiadico dolori, Colicæ, Carunculæ, Ictero, Vertigini, Hemicranîæ, Livi Venereæ & ejus symptomatibus, genorrhææ, hepatis intemperiei

periei, intestini relaxationi, Vulneribus cujus-
 cunq; loci, formicæ, fistulis & ulceribus antiquis
 ad mitigandum, Phthificis, Hecticis, Hydropicis,
 Epilepsiæ, Asthmæ, Paralyfi, Phrenitidi, Podagræ
 & chiragræ: Morbis deniq; mulierum quibus-
 cunq;. Secretum nulli nisi fratri suo Vito ape-
 ruit, duobusq; libris consignavit, post mortem à
 Principibus Viris Patronis suis referendis. Panor-
 mum Regis Vicarij sedem Medicis parum ad stu-
 dia utilitatis afferre sciatis. Præterire tamen non
 debui tacita quadam veneratione urbi addictus,
 quippe quæ magno semper in honore Medicos
 habuit, quibus antiqua lege permittitur instar no-
 bilium Virorum calcaribus deauratis uti ephip-
 pijsq; & alijs equorum ornamentis auro inductis,
 teste *Baronio* in *Majest. Panorm.* quod privilegium
 à *Carolo IV.* Imperatore collatum asserit *Sansovini-
 nus* l. 3. de *Mund. Chron.* Non moveor calcaribus
 aut ephippijs, sed honore Medicorum, alibi loco-
 rum protrito & calcato. Xenodochium S. Bar-
 tholomæi amplum satis & ornatum, A. C. 1586.
 ædificatum est, in quo *Phil. Ingrassias* artem exer-
 cuit magna nominis celebritate. *Fazelus* l. 8 fon-
 tem describit Sarracenicé Bughuto dictum, salsas
 tepidasq; habentem aquas, quæ epotæ statim ven-
 trem laxent & plerosq; languores curent Panor-
 mitanorum experientia. Similes sunt aquæ
 sanctæ, ex quibus *Laur. Nasali Med. Doctorem*
 portentosum poculum pro ægrotis confecisse

narrat *Baronius* laudatus c. 12. De Melita Insula, quam majori curiositate quam utilitate ingressus sum, solis glosopetris & terra S. Pauli ditior, nihil attinet loqui, cum alijs Europæ Africæq; peregrinationibus tempora commodius impendi queant, quorum accurata ratio habenda ne varijs inutilibus animus dividatur. Quicumq; integre sapiunt, certe sciunt, monitore etiam *Tertulliano* lib. 2. ad Ux. id servandum sibi esse, quod sit utilius. Sed ex longinquo itinere calamum revoco, ut domum & ad argumentum redeat, quod expedire in se suscepit. Partem itineris mei recensui, ut velut exemplo præirem filijs peregrinationi jam intentis, ut doctorum amicitias sectentur, naturam observent, & nihil negligant aliquando profuturum. Nec dubito quin ita studiorum gratiâ regiones meliores Europæ sint peragraturi, ut velut apes, dulcissima quæq; exsugant, ociumq; suum necessarijs distinguant, ne deinde domum cum supervacua scientia redeuntes, jurent nescisse seipsum, quare exierint, ubi fuerint, postero die erraturi per eadem illa vestigia, sicut eleganter *Seneca* l. de Tranq. An. c. 12. loquitur. Finis semper prospiciendus prudenti circumspectione, ne ambages quarantur, quando recto regioq; itinere ad meritam propositam potest perveniri. Omnia quæcunq; vel oculi viderint, vel aures hauserint, ad medicinæ complementum referantur, omniumq; populorum temperamenta, regionum constitutio-

nem

nam, herbarum qualitates, morborum varietatem, remedium delectum & quicquid deniq; & tuto narrari potest & tuto audiri perdiscere expediet, ut consilio *Galen* l. 5. M. M. c. 12. non ita tantum illis qui Italiam incolunt, succurratur, sed quoad fieri potest, qui ubivis habitant gentium. Quem finem promptius assequitur Artis filius, si jactis fundamentis domi familiaribus & utilibus pro patriæ morbis, in peregrinatione populosi Scivitatibus non nihil inhæreat ubi varij morbi occurrunt, Medicisq; celebrioribus se adjungat. Medico juniori antequam Praxin aggrediatur ipse, id suasit *Sennertus* in Meth. Disc. Medicin. præfix. Paralipomenis. Ego in itinere Medico negligendum non esse censeo. Mihi enim profuisse hoc institutum expertus sum. *Leidæ walaum*, *Parisijs Patinum*, *Patavij Salam*, *Neapoli Severinum*, *Messanæ Castellum* elegi, quos in curandis ægris Duces sequebar. In primis *Jo. Dom. Sala* Medici senioris ductu triennium Patavij ægris visitandis impendi, diutiusq; illam commoditatem mihi optassem nisi fata Magnum illum Medicum nobis subtraxissent, ætate, meritis, doctrina, & experientia inclytum, cujus præclari nominis memoriam ad ultimum vitæ finem constantissima semper fide perducam.

Ut sani peregrinationes absolvant, nec corporis robur in itineribus capiat detrimentum, ne deniq; reduces in patriam morbis subjiciantur

quorū propulsandorū gratia tot labores & fastidia devorarunt, sedulo valetudinem suam curare debent. Præcepta sanitatis conservandæ non ita pridem in Propemptico ad Cognatum meum amantissimum *Theodorum Fuires Junio*rem brevissimè consignavi. Quia cum Medicis jam mihi res est, vel Medicorum filijs, ex Medicorum præscripto in eadem linea pergam. Compendio multa complexus est *Bernhardus Gordonius*, Vir Doctus & prudens, qui post annum vigesimum Lecturæ suæ *Monspeliensis* A. C. 1305 *Lilium* suum Medicinæ edidit, ex cujus Particula Prima Cap. 31. excerptam non nulla, scholijs meis, quia jam triginta circiter annos Medicinæ artem in Academia patria publicè docui, illustranda, quæ iter suscipientibus præscribuntur. Eandem rem, sed paulò diductius tractat idem L. 1. de Conserv. Vit. Human. c. 27. quem librum in lucem primus dedit *Joachimus Baudisius* 1570. mox operibus *Gordonij* adjunctum in editione *Lugdunensi Rovilliana* 1574. Summa quædam capita tetigisse mihi hic curæ erit.

Qui longas itinerationes suscipit, debet se primo purgare, & corpus mundificare cum phlebotomia & Pharmacia, & balneis & abstinentia, & similibus, ut exercitium inveniat ipsum mundum, aliter timendum est de febre, de apostemate, de nimio fluxu, de ruptura vena. Rationem addit l. de Cons. Vit. Humane contingat fieri ebullitio humorum in cor-

pore, ratione laboris & mutatione aëris & ciborum. Utrique remedio generoso sudorifera addenda, quibus serosa expurgantur & reliquiae aliae sanguinis corporisque habitus, nisi sub balneis ea sit complexus. Scio averfari nonnullos venæ sectionem, persuasos reservandum id esse remedij genus ad morbum quemcumque gravem. Cæterum præservationis gratia illud tentandum, ut gravis morbus in itinere præcaveatur, nam citius tutiusque venienti hosti occurrimus, quam inquilinum propulsamus. Itineratio & itinerare seculum *Gordonij* sapit. Forsan ex veteri *Itiner* pro iter apud *Nonium Marcellum* c. 8. licet distinguat *Isidorus* l. 15. Orig. c. 16. quod *Itiner* sit itus longe viæ, & labor ambulandi. Elegantius ita loquitur *Gordonius* l. 1. de *Cons. Vit.* c. 27. Qui vult se transferre de regione ad regionem.

Secundo debet se præmunire cum ijs quæ aëri & siti & accidentibus repugnant. In tempore igitur calido & in regione calida, sitis hominem multum aggravat. Fiant autem pilule quas teneat sub lingua, vel electuaria refrigerantia. Utatur etiam syrupo liminum cum aqua frigida, aut syrupo nenupha. aut viol. aut ros. aut syrupo acetoso aut syr. de ribes, si ribes inveniatur in regione. Illud etiam, quod summe sedat sitim, est quod accipit aquam fontis frigidam & ponatur parum aceti mundi, clari, aut vini malorum granatorum, & modicum de Zucchero, aut sola cum magnis haustibus sorbeatur.

Quomodo iter suscipiendum tempore calido frigidove, *Hippocrates* prior monuit L. de Sal. Viâ. Ratione: Per hyemem, inquit, celeriter & per æstatem leviter, sive, ut vertit *Donzellinus*, lento gradu, iter faciendum, nisi per solis ardorem via sit facienda, Tum enim, *aleno* Gsubmouente in Comm. festinato opus est, quo liberemur ocius siccitate & calore, quæ corpori in itinere ejusmodi comparantur. Unde morbi ex bile potissimum contingunt, præsertim si quando per deserta loca peregrinatio instituat, docente alibi *Hippocrate* l. de Int. Affect. Ad hominum quoq; habitudinem attemperandum iter docet *Cous* l. d. de sal. Viâ. Corpulentos enim celerius, graciles verò levius, seu lentius iter facere convenit. Nam celer motus augendo plurimum calorem, corpus colliquat, in motibus verò remissioribus calor mediocris sangvificationi & nutritioni prodest, quod *Galenus* in Commento persequitur. Siti sedandæ succus limonum recens confert, sed moderatè haustus, ne alvi fluxus superveniat. Aqua omnino vino temperanda, ne ventriculo noceat, imò meri potio modica vel tantillum spiritus Vini sitim citius depellere solet, quam aqua limpida, præsertim in corporibus septentrionalium, quæ seroso humore abundant, qui vino est abstergendus. Calidiores alij & sicciore sive naturâ sive solis æstu, aqua tutius reficiuntur. Loco pilularum sublingualium ex succo uyæ acerbæ, acetosæ,

fucc. mali granati, summit. papav. albi, succ. portulacæ, quas *Gordonius* commendat, lapis prunellæ majori commoditate substituatur. *Aetius* tetr. 1. f. 1. mori fructum in longo itinere aut multo ardore defatigatis laudat, sed ubi siccum & calidum fuerit ventriculi corpus, & hepatis. Ex *Erasistrato* aquam nitro & sale mistam *Oribasius* proponit l. 5. synops. c. 32. Ad sitim suadet *Aegineta* l. 1. R. M. c. 55. polentam tenuem in aqua cum modico sale. *Jo Bapt. Theodosius* Epist. Medicina l. 39. Petro Paulo Parisio Professore Bononiensi Romam profecturo consulit ut parum sacchari rosacei Neapolitani capiat antequam itineri accingatur, & si æstus urgeat, superbibendum parum aquæ endiviæ & borraginis. Si autem in via deficiat & aqua & vinum, *Gordonij* est consilium l. 1. de Cons. Vit. Hum. c. 27, ut secum portet candi & semen portulacæ & semen acetosæ, quæ contrita & inter se commixta teneat in Ore.

Cum aquæ desiderentur, nec tamen semper obviæ sint illæ quæ vel puræ, vel quibus assuevimus, percolandæ illæ sunt vel excoquendæ. Posteriori difficultati operoso studio occurrit *Gordonius* l. de Cons. Vit. Hum. c. 27. sed peregrinanti nimium molesto, qui aquis gestandis fatigaretur. Portari vult aquam patriam usq; ad locum, in quo hospitabitur, & cum illa conjungi aquam illius, & illius loci, & mane sequenti accipiendam aquam loci illius & portandam usq; ad locum

Lapis prunellæ

locum altéius loci, & ita deinceps. Opportuna hæc curiositas vel ditioribus conveniet, vel ociosis peregrinatoribus. Sunt aliæ sarcinæ, quibus oneratur caballus meritorius. Promptior est modus alter, si portet aliquis terram mundam de terra sua, & misceat cum aqua peregrina, quæ postea quiescat & coletur. Quid ages, ut aëri peregrino assuescas, ex cujus mutatione plus damni quam ex aqua? Scilicet pedetentim libanda & hæc & ille, ne noceant.

Pulchritudinis studiosi cuti suæ tenellæ metuunt, si in sole iter faciant. Quibus remedium Cosmeticum subministrat *Galenus* l. de Facil. Parab. c. 14. lini nempe fecem melli admistam, qua corpus iter facturi sub sole inungatur, eo tamen prius nitro perfrieto. Quanquam inter minima hanc deformitatem reputet pulcher animus, tamen etiam sanitatis pars est cutem esse patulam effluvijs ordinarijs. Alias si nigredo à sole metuatur, lavetur faciei cutis albumine ovi cum aqua rosacea conquassato, vel mucilage seminum Cydoniorum, vel emuls. sem. frigidorum, vel unguento pomato cum cerussa in aq; ros. dissoluta & mucilage sem. psyllij. Inducta verò ex itinere deformitas extergatur aqua rosarum in qua camphora dissoluta, vel gummi cerasorum in aceto dissoluto, vel aqua fl. fabarum, malvæ, liliorum alborum, cum lacte destillata.

Si juvenis carnosus fatigatus ex via, labore & calore in aestate flumen mundum & clarum invenerit, in illudq; se projecerit & natarit, in frigi dabitur & mitigabitur sitis & fatigatio, & calor naturalis confortabitur.

Magna cautione hic opus, in corporibus scorbuti seminio infectis, quibus natatio in flumine nocet, obstructis poris cutis, quos patulos esse expedit. Frigida quidem corpus purum calidumq; roborat, sed cutem densam duramq; efficit, quod tutissimum *Galenus* l. 3. de sanit. Tuend. c. 4. pronunciat adversus noxas externè imminentes. Internis verò causis, quæ nocere sui mora possunt, intercluditur via. Ut citra noxam ista natatio exerceatur, duo requirit *Galeanus* l. 10. M. M. c. 10. ut valentibus sint viribus juvenes, & frigido solio assueti: Illos iccirco carnosos vocat *Gordonius*, in quibus scilicet macie nimia injurijs frigidaë expositi non sunt nervi. Cæterum præceptum hoc mutuatus est *Gordonius* ex *Galeno*, qui l. c. balnei frigidi utilitatem, peregrinantium in sole fervente exemplo confirmat, & ejusdem intermissi damna recenset. Verba hic ejus relegi merentur, ut de mente omnibus constet: Maximo hujus rei documento est status, qui ex ejusmodi balneo redditur, postquam in sole fervente iter fecerimus. Quippe accedimus ad id, ne loqui quidem præ lingvæ & faucium ariditate valentes: totumq; corpus stipulæ ritu aridum habentes. At egressi é frigida, illico omnia pro naturæ habitu

recipimus, nec febrili calore vexati, nec siccitate afflicti, promteq; loquentes, ac plurima sitis parte levati. Deinde de incommodo, quod sequitur ubi tali peracto itinere non laverit, idem pergit: Aut enim stabit febricitabit, aut multo plenus tædio, gravato s. capite, perseverabit, potissimum si frigida calorem nondum extinxerit. Multi tamen juvenes ejusmodi confectis itineribus, ubi illico se in aquam frigidam projecerint, juvantur: ac potissimum qui valentibus sunt viribus, & frigido solio assueti. Ita verò & ruri faciunt, ubi quod balnea non sint, in stagna vel flumina seipso conjiciunt, nullo Medici suasu, sed ipsa gubernante corpus natura ad id quod conducatur impulsi. Prudens est monitum *Avicenna* l. 1. f. 3. doctr. 5. c. 3. ne natatio cito fiat, sed parum expectent, deinde ordinatè ad ipsam accedant. Rectè *Gordonius* flumen clarum concedit, non turbidam nec paludosam aquam quæ sordes suas abscondit, & insecta occultat, quæ pedibus solent esse molesta, imò exitiosa, Nuper admodum prope arcem Draxholmensem rusticus damno suo id expertus est, qui in palude versans, in numeras hirudines nudis pedibus subsistens sanguinemq; exsugentes pati debuit, unde post paulo expiravit.

Si aliquis debet in hyeme itinerare per loca nivosa, & ventosa, tunc inungat pectus cum aregon & marciaton, & comedat assa alliata, cum vino puro

Et utatur speciebus aromaticis, si sit pauper transglu-
 tiat quolibet mane tria grana piperis aut thuris integra
 &c. Et sint pelles vulpine.

Galenus de Theriac. c. 16. consuluit *Piso-*
 ni ut theriacam assumeret, cum frigente per hy-
 emem aere, iter aliquod susciperet: esse enim
 tanquam optimum visceribus indumentum,
 multum eis calorem præbere cum possit. De in-
 ternis solliciti *Aegineta* & *Oribasius* l. c. primum
 alvum subducere præcipiunt, antequam viæ re-
 committas, deinde ungi, tum cibum hybernium
 (nempe calidum) & potum sumere. Ille satis
 multum cibi, hic non multum concedit. sine du-
 bio ille respexit ad calorem ventriculi, qui hye-
 me intensior, adeoq; plus nutrimenti consumit.
 Hic iterum metuit concussiones. Illi favens
 Doctissimus *Mercurialis* l. 3. c. 8. iter ingressuros
 per nivosa loca cibo & potu onerare sese vult,
Avicenna impleri nutrimento. Bulimus enim eos
 plerunq; invadit, quos reficit *Aetius* tetr. 3. l. 1. c.
 6. aceto, vel pane recenti naribus admoto, caseo
 boni odoris, carne suilla assata, *Plutarchus* l. 6.
 symp. q. 8. in historia Bruti panem laudat solum,
 idq; ut langventes spiritus reficiantur, cui vinum
 addit *J. Mich. Savonarola* Pract. tr. 6. c. 13. so-
 lumq; vinum *Heurnius* de ventr. Morb. c. 8. quæ
 facilius in itinere haberi possunt. Loco vestium
 fasciam longiorem præscribunt *Oribasius* & *Aegi-*
neta lumbis, pectori & spinæ diligenter probeq;

obvolutam, sine dubio ad arcendum frigus per has partes corpus penetraturum. Quo consilio unctionis meminere illi, & epithematis *Avicenna*.

Si aliquis transiverit loca nivosa, proindeq; stuporem patiatur in extremitatibus, tunc cavendum quod non approximetur subito aqua calida aut igni, quoniam magnus dolor causaretur in radicibus ungvium tum melius est ut ponatur in aqua quasi frigida vel tepori vicina vel in fine vel longe ab igne, ut non fiat subita mutatio.

Ita & *Avicenna* l. I. fen. 3. doct. 5. c. 4. Quum iter agens in frigore, hospitatur, non illico se calefacere debet, imò in hoc paulatim ordinetur in calore parvo, & ad fortem calorem non cito accedat: imò si ad ipsum non accesserit, erit melius: Quod si vehementer ei fuerit necessarium, secundum ordinem ad ipsum accedat. Exemplo fructuum congelatorum hæc illustrantur, qui si ponantur in aqua calida corrumpuntur, si verò in frigida, gelu evocato, utiles sunt. Didicit Rex Angliæ Jacobus in Norwegia ab incolis istam medendi rationem, cum foco admotum digitum rigentem intempestivo calore penè amisisset. Alatum enim vas plenum nive per ipsum triclinij teporem sensim diffuente, torpentes articulos immersos restituit, attestante *Barclajo* in *Jcon. Anim.* c. 8. Frigoris quippe lues alio frigore pellenda est. Aqua frigida sola utitur *Herm. Heiden Discurs.* 3. Med. aliquoties renovata mediæ ad minus horæ spatio

spatio. Rationem idem addit, quod sanguis hoc frigore versus viscera repulsus, ibidemq; satis diu hærens, unitus & coarctatus majores acquirit vires, quibus in reditu suo occupans pedum extremitates, frigidam illorum intemperiem expugnat, caloremq; resuscitat. Quicquid sit de ista ratione, certum est, juvari hanc curandi methodum, si ejusdem consilio sub dicta immersione vini haustus nuce moschata aut cinamomo aromatizatus & calefactus liberalius assumatur, & finita illa pedes detergantur linteo, & sapone communi inungantur absq; igne. Intredum ita partes in itinere a frigore intenso commoriuntur, teste *Galeno de diff. Morb. c. 5.* & experientia cottidiana, ut pleriq; antequam domum perveniant, ad hospitium algidi ac semiani mes deferantur. Adusta ita frigore membra Septentrionales cinere combustæ pellis leporinæ sanant, si credimus *Olao Magno l. xj. c. 23.* Præcavenda hæc mala pellibus animalium, quibus non tam ad ornatum utimur, quam necessitatem. Proderitq; manus lavare vini spiritu antequam ad iter componamur.

Si incedat peditando, (rectius, Pedibus iter faciens), nocte abluat pedes cum Aqua salsa calida: eosq; desiccatos, & juncturas & peritonæum inungat cum mixturâ factâ de sævo hircino, butyro & axungia gallinacea lique facta, & modico oleo de Castoreo.

Hoc seculo pedestria itinera non ita usitata, nisi apud milites, opifices, & alios tenuioris

sortis sed bonæ mentis Candidatos. Subinde tamen equorum defectu pedibus iter cogimur ad gubernare, quod mihi fratriq; *Casparo Bartholino*, nunc in cœlis beato, contigisse bene memini cum ex Provincia Gallia per Nizzam, Monaco, Montono, Vintimiglia, Finale, Nolam, ad Genuam ire pergeremus. Nec Medicinæ Geographiæq; studio addicti curru semper vehuntur, ut plantas colligant obvias & terrarū situs, longitudinem, distantiamq; metiantur. His illisq; præceptum *Gordonij* sequendum. Alias si lutosa sit via, sedulo cavendū ne humidi ac madidi pedes diu circūferantur. Abstergendi enim & siccandi. Calceos ligneos, quorū usus olim in Gallia hodieq; plebeis nostris, commendat *Cardanus* l. 13. de Rer. Variet. c. 63. quia non facile humectantur, & humidi facile siccantur. sed quia pedes duritie lædunt, nec facile accommodantur, quanquam stupa addatur, nemo libenter antiquatum apud Gallos usum imitabitur. Si per saxa eundum sit, Turcarum more soleæ ferreæ tenues supponantur. At si per siccum breve sit iter, crepidæ utiles erunt, quia pedes excalfaciunt. Ocreæ, cothurni ac focci equitantibus conveniunt, pedes iter agentibus haud utiles; nam si rima aliquam admiserint, celeriq; aut diuturna ambulatione maduerint pedes, non nisi detractis licet illos siccare, præterea detracti refrigerato crure noxam afferunt, nec tam facile, ut volumus, detrahuntur. His tam minimis præceptis etiam Principes indigere

gere *Cardanus* monet, de quibus plura apud eundem legantur.

Si nimis cenaverit, incedat in crastinum paulatim & non comedat nisi crapula sit digesta: si autem a mane crapulaverit, evomat & dormiat multum. Crapulam hic eo sensu capit, quo *Isidorus* l. 20. Orig. c. 2. pro immoderata voracitate quasi cruda epula, cujus cruditate gravatur cor & stomachus indigestus efficitur. Crapulare tam malum verbum, quam res ipsa verbo expressa. In itinere quippe & modus servandus ciborum & delectus. Quamquam *Galenus* Comm. in Hipp. de sal. diæta, neget peregrinantes delectum habere posse ciborum quibus vescantur, vel non vescantur, cum ijs uti cogantur, quorum facultas datur: Olera tamen damnat *Avicenna* l. 1. fen. 3. doctr. 5, c. 2. & fructus & quicquid humorem generat crudum, nisi ex necessitate fuerit, ut illis medicamenti vice utantur, vel alia edulia desint: Cautionem verò hanc generalem ponit, ut cibus sit quantitate paucus, & multi nutrimenti. Cæterum rectè *Galenus* l. 6. delectum damnat, si quo quo modo festinatione iter faciendum: tum quippe nullis legibus se obstringi patitur *Ulysses*. Opportunus foret peregrinantibus cibus *Avicenna* l. 6. ex oleo violaceo, in quo adeps, vel ut alij vertunt, cera dissoluta sit, donec in emplastri similitudinem conversus fuerit, decem enim diebus postea comedere non desiderabunt. Sed hodie ventres nostri carent auri-
bus, nec emplastris sedantur.

Si iuerit equitando, talis potest melius dietam servare. nullo igitur modo ingurgitato stomacho audeat aliquis equitate, quoniam timendum de dolore capitis, & naüsea, & fluxu ventris, & torsione, & dolore stomachi & indigestione.

Stomacho quidem firmando equitationem vehementē conferre scribit ex Antyllo *Oribasius* l. 6. Med. Collect. c. 24. Sed post cibum sine modo modioq; sumptum plus damni afferre certum est, quam commodi. Turbatur enim nimio motu concoctio ventriculi, fumiq; ad caput adscendunt, sicut concussa olla in foco ebulliente cessat coctio vel impeditur. At tempore distributionis alimenti concocti & equitatio & exercitationes aliæ moderatæ profunt. In itinere sæpe muli offeruntur, sæpe succussantes equi, sæpe currentes, quorum differentias persequitur *Mercurialis* l. 6. Art. Gymn. c. 8. unde quidem assuetis nihil incommodi accidit, nec alijs junioribus, nisi pleno ventre statim à prandio concendantur. Propter metum cholerae & diarrhae familiarib⁹ suis itineri se committentibus semper suavit *Hermannus Heyden* discurs. Med 2. ut semper unam alteramve pilulam labdani Theophrasti circum ferrent, filijsq; suis in Universitatibus studiis incumbentibus de eadem prospexit, una cum descriptione, à Medico tamen loci inspicienda, quo melius & certius curationi caveretur.

Mane cum surrexerit, vadat paulatim, donec superfluitates digestionis sint expulsæ & postea equitet.

Matutinæ enim ambulationes alvum molliunt, & segnitiam è somno contractam dissolvunt, spiritusq; attenuant, sicut ex eodem Antyllo inculcat *Oribasius* c. 22. præsertim mediocres, quæ exercitationem magnam seu equitationem præcedere debent.

Si itinerantes constipati fuerint, utantur aliquo electuario laxativo, diabor. diasenæ, catartico imperiali, trifera Saracenicæ, diaprunis, oxylaxativo, elect. Ducis, stomachico laxativo & diaturbith. Et pulveri in salsamentis usurpando addant pul. fol. Senæ, epithymi, polypo.

Vel enemate parabili alvum irritent provocentq; ad obsequium. Vel Cremor Tartari in theca fervetur. Extracta quoq; Rhabarbari, Agarici, Panchymagogum *Crollij* in marsupio secum ferre possunt, vel massam pilularum Tartarearum *Quercetani*, ex quibus pro re nata pilulæ justa quantitate conficiantur. Reliqua enim *Gordonij* plurimorum ventriculis nauseam movent, vel in desuetudinem venerunt.

Si fuerint in mari, eligant sibi locum à sentina longinquum, & ab omni sorde, & stent in aëre frigidiori & altiori, quantum erit possibile, & si de facili nauseant, teneant se ad columnam & odorent panem assum

cum aceto. sumant valdè parum de cibo & potu & Dominus Jesus dirigat in tranquillitate.

Ad nauseam vomitumq; per mare navigantium ex Diocle similia præscribunt *Oribasius* l. 5. *synops.* c. 33. & *Paulus Ægineta* l. 1. c. 56. momentq; prudenter neq; facile neq; utile esse cohibere vomitus. In illis tamen qui vomitu quocunq; offenduntur, præcavendum quantum fieri potest, ne marinus aër nauseam excitet. Neq; enim mihi ignoti sunt qui oborto in mari vomitu sanguinem rejecerint, & isto motu violento lienem irritarint, qui solennibus deinde vomitionibus cruentis assvetus, tandem fatum acceleravit. Ne igitur nausea in mari oboriatur, impedimento negociorum & periculo sanitatis, præmissa antea iter corporis evacuatione, ventriculus intus & extra roborandus absinthio. *Baverius* *Consil.* 19. inter cætera accidentia navigantibus infesta nauseam five stomachi conturbationem numerans, huic ita succurrendum suadet. Accipiantur post cibum antequam evomat coriandri conditi & confecti cum optimo zucaro cochlear unum. Aut accipiat quod melius est duos aut tres bolos infrascriptæ Confectionis. *Recipe* *Conservæ Citoniorum* absq; speciebus *Libram* unam, *masticis granorum, mirri, aneos, coriandrorum præparatorum* an. *scrupul.* iv. pistentur pistanda subtilissimè & cum *miva citoniorum* fiat *Confectio solida* in *morfellis.* Eadem habet *Bartholomæus Montagnanus* *Consil.*

Consil. 2. ad Patrem Abbatem Camaracensem Anglum cum ad terram sanctam transfretaret. Si-
ne dubio isto seculo familiaria hæc fuere. Fatetur
tamen *Montagnana* se multis Gallis confectionem
præscriptam commendasse ad sepulcrum Christi
euntibus, una cum inunctione stomachali, syru-
pis, confectionibus ficcis ex coriandro præparato,
avellanis assatis, citonijs, piris & mirobalanis con-
ditis. Nostrorum nautarum secretum est, haustus
aquæ salsae marinæ, quamprimum navem intrave-
ris. Si cohiberi non potest vomitus, bilisq; vel
pituita ventriculo molesta evomatur, consilium
Celsi est l. 1. c. 3. ut abstineant cibo vel paululum
aliquid assumant post bilis vomitum, si verò pi-
tuitam acidam effuderint, sumant cibum sed
assveto leviolem.

In navibus præterea aquæ dulcis penuria
premuntur, qui longa itinera ad Indos susceperunt,
de quibus hic mihi laborandum non existimavi,
cum pauci studiorum causa Zodiacum transgredi-
antur, multi vel necessitate vel diuitiarum cupidi-
ne, quos suo sensu & labore abundare sinam,
patiarq; divites tales in itineribus suis frustra su-
sceptis marcescere, sicut loquitur *Jacobus* Apostolus
c. 1, 11. Non ignoro ad aromata pernoscenda, ad
herbas peregrinas inquirendas, ad Medicinam Bar-
barorum explorandam laudabili curiositate Medi-
cos nonnullos doctissimos Orientem Occiden-
temq; perlustrasse, inter quos *Bellonius*, *Bontius*,

Piso, Marcgravius, aliiq; immortalis laude eminent; Cæterum longioris itineris temporisq; dispendio ars Medica tardius discitur, nostris hominibus parum profutura. Laudati veró Viri, publico munere defuncti, artem in utraq; India exercuerunt magis quam didicerunt. Quicquid sit, etiam in itinere terrestri vel maritimo breviori subinde aquæ corruptæ occurrunt, vel dulces haberi non possunt. Utriq; incommodo remedium est paratum. Corrupta aqua cum aceto, vel aromatis, præsertim caryophyllis & foliis lauri corrigatur, vel coquatur. *Gordonius* de Conf. Vit. Hum. omni malæ aquæ vinum, acesum, cœpas & allia addit, & lactucas si volumus infrigidare. De nive enim pericula alibi signavimus. Et *Galenus* prudenter monuit, quamvis protinus nullam juvenum corporibus sensibilem læsionem inferat, sensim tamen occulteq; crescente vitio, cum jam ætas progressu temporis inclinaverit, articulos nervosq; & viscera ijs morbis vexari, qui difficulter admodum vel omnino tolli non possunt. Marina veró aqua per arenam transiens dulcescit, sicut per anfractus terræ percolata deponit sal sedinem, materiam sui crassiorem, antequam per scaturigines fontium dulcis prodeat. Quod evaporatione & sublimatione tenuioris partis fieri censet *P. I. Faber*. L. 4. Panchym. c. 4. ad cuius modum etiam decoctio artificialis posset tentari. Ut dulcior sit marina, per arenam tribus quatuorve mani-

cis exceptam, percoletur. Alij alios modos excogitant. Destillant per alembicum. Coqvunt in cacabo, & linteamen mundum ponunt super fumum, posteaq; exprimunt: vel ponunt lanam in olla, per quam quod extra distillaverit, colligitur. Sal ex urina hominis extrahunt Chymici. Cur non ex marina aqua sal extraheretur? Par quippe utriusq; ratio. Mare certè urinam quidam vocarunt, præsertim Indi Braminei, qui antequam ut lotium emitteretur, non fuisse falsum mare fabulantur. Historiâ fabulosâ id confirmant, quam ex *Abrah. Rogerio de Bramin. part. 2. c. 18. amicus olim noster Arn. Senguerdus* Intr. ad Phys. l. 2. c. 6. refert, dignam quæ hic legatur & false irrideatur. Quidam Agastea dictus, homuncio, qui magnitudine corporis non superabat pollicem vel ut alij, articulum pollicis, sed valdè sanctus, qui ab initio mundi vixit, & ad finem ejus durabit, ambulabat in littore maris: ob sui parvitatem à mari ridebatur; quare ira accensus, jussit vastū mare totum ad se accedere, quod igitur tanquam guttam manu excepit, & deglutivit. Hoc facto *Dæmetaes*, qui sunt dæmones, dixerunt, eam non esse justam causam tantæ iræ, oportere eum memorem esse, quanta maris sit necessitas. Rogarunt itaq; ipsum, mare vellet restituere. Serix petitioni *Dæmetaes* sive *Dæmonum*, annuens *Agastea*, eminxit mare, quod inde, ut urina, falsum est. De salsa aqua per terram edulcoranda

da notat *Verulamius* in Hist. Nat. Cent. 1. sylv. 2. legisse se experimentum, decem vasis sibi invicem superpositis, falsedinem tamen non exsuisse, ut potui apta foret: at aquam falsam per viginti vasa derivatam extitisse dulcem. Cujus diversitatis hanc causam ponit, quod omnis terra speciem quandam salis nitrosi contineat, cujus arena plerunq; expers est, deinde quod terra aquam tam exquisitè non percolat quam arena.

Sic *Gordonio* serijs ludicrisq; lucem affudi, sic peregrinantibus Medicam vivendi normam præscripsi, cujus ductum secuti & sani in itineribus degunt, & salvi in patriam revertantur Jesu cursum dirigente. Piè enim Arabes in Proverbijs dicunt, aberrare incessum ejus, qui sperat absq; DEO excelso. Multa alia essent dicenda. Sed honesti amantibus pauca sufficiunt præcepta, qui sua sponte ad magna rerum & præclara quæq; feruntur, nec à malo se vinci aut flecti patiuntur. Monstra in itinere obvia, virtute & animi constantia prosternuntur. Ex illis tria recenset *Marsilius Ficinus* l. 4. de sanit: tuend. Stud. c. 7. primum terrenam Venerem, secundum Bacchum & Cererem, tertium nocturnam Hecaten. Ergo Apollo ab æthere, Neptunus ab æquore, à terra Hercules vocandus, ut Monstra illa Palladi inimica, jaculis Apollo transfigat, Neptunus tridente domet, clava Hercules contundat & laceret. Non eo vobis, Nepos charissime, Filij amantissimi,
hæc

hæc dicuntur animo, quasi torperent ad virtutes pectora vestra, omnium honestarum rerum seminibus foecunda, adeoq; admonitione nullâ excitanda, sed ut affectum paternum videatis, qui etiam superflua erogat. Et quanquam natura vim suam apud vos exercente, omnia sperem quæ à Parente sperari possunt, præcepta tamen ista amoris excessu addenda putavi, quibus vis ingenij vestri cresceret vel augeretur, & præceptorum fides exemplo indolis vestræ publicaretur. Certus sum sententiam meam non mutari, quia tales esse nunquam desieritis, quales hætenus vos probastis, nulla voluptatum consuetudine delinictos, quæ vos à DEO vestro & studijs avertant. Ut veterum peregrinantium more vos geratis, qui Mathesi operam haud ingloriam collocastis, sidera patriæ observate, ut de patria repetenda cogitetis, nec moribus peregrinis ita immerfi redeatis, ut exponamini fato Anacharsis, Græcorum morum introductoris; sed medicinam ita foris discite, ut domi utilis esse possit, nostris hominibus cum iudicio accommodanda, memores *Celsi* in Præf. differre pro natura locorum genera medicinæ & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Tum danda opera ut per vos quoq; arti, quæ desunt, inveniantur. Cælum verò peregrinum adorete, ne domestico excludamini, tantumq; visis externis, patriæ dulcissimæ tribuite, ut inferiora tamen omnia credatis, imitatur


HOR

Hormisdam, qui interrogatus quid de splendidiſſima Roma ſentiret, id ſibi tantum placuiſſe aiebat, quod didiciſſet ibi quoq; homines mori. Sic in honore DEi eritis, & in honore famæ nomina veſtra ex tenebris oblivionis vindicabitis. Nam licet fortunæ veſtræ reduci obſtare poſſet, quod noſtro ſeculo nati eſtis, attamen ſi felicitatem in DEo vobis præfigatis, & in virtutis operibus, & moderatione, & minori ſpe quam jure ſperandum eſſet, placato Numine in patriam vobiſcum reportato, placebitis tandem hominibus amore veſtri devinctis, quia DEo placuiſtis. Ita ingenti conſcientia paciſcimini cum DEo, itineris Duce, ut vos ſi meremini ſerveat, quum ſciatis an mereamini, neminem magis quam DEum ſcire. Sic veluti agricolæ expectabitis pretioſam frugem, patienter ferentes omnia donec meſſis ingruat. Policrates Pythagoram Regi Ægyptiorum commendavit, ut ad doctrinam ſacerdotum admitteretur, ego vos Regi Regum, ut in doctrina veritatis cæleſtis conſtanter permaneat, ſcientia utraq; magnis incrementis augeamini, virtus veſtra creſcat, patria per vos quoq; floreat, lætentur parentes, amici gaudeant, deniq; ut glorioſiſſimum ſalutis veſtræ fructum ex conſenſu DEI & meliorum capiatis. Ego iterum iterumq; *Homeri* illam vocem ingero: Βάλλε ἄνω, ſic jaculare. Pergite, inquam, ut cœpiſtis, atq; hanc eis rependite voluptatem, qui

vos

vos omni benevolentia complectuntur. Illudq; memoria retinete, quod *Gallus Cæsar* Juliano fratri cordatè dixit, nihil religioni præferendum esse. Nam virtus quo est perfectior, monet ut mendacij detestemur fallacias, veritatem autem consecutemur, quod præcipuè in pietate erga DEum curandum apparet; ne Naturæ nimium intenti, Naturæ authorem perdamus, ne animarum salute excidamus, corporis valetudinem curaturi. Pergite itaq; mei filij, & properate, quoniam id estis aggressi, quod perdiscere vix senes possitis. Pergite læti omnes alacresq;, ut vobis

Detur inoffensæ vitæ quoq; tangere metam.



Amplissimo Celeberrimoq;

V I R O

DN. D. THOMÆ

BARTHOLINO

Dilectissimos Nepotem Genitosq; in Exteras
Regiones dimittenti gratissimos Reducum
Amplexus vovens.

K

Hactē-

H Actenus æternū victuris Fama Libellis
BARTHLINI excelsas stravit ad A-
stra vias;

Illa Patris docti Genitiq; legenda per orbem
Quæ laudaturum tot monimenta tulit:
Nunc aliud molitur iter; quæq; antè disertæ,
Jam datfœcundæ pignora certa Domus,
Ardua magnanimæ dum per vestigia stirpis
Sanguinis Agnati Dux rapit ipsa gradus,
Dumq; sinus, toties quos scripta habuère lato-
rum,

Hospitibus pandit consociatq; novis,
Non jam depictis sed vivis vultibus implens,
BARTHLINI intrârit quotquot imago,
Lares. (per te

Macte bonis, BARTHLINE, tuis! qui vivere
Post te victurum das memorande Genus!
At tu, Magnorū Soboles generosa Parentum,
Unde lata es, nunquam dememinisse velis,
Utq; per externos Alphæi provida ritu.

Tot pelagi fluctus, nec temeranda, mees,
A Patrio nunquam deflectas sidere vultus,
Vix alia huic lumen par Cynosura dabit.

JOH. HOPNERUS,

AD

AD

CASPARUM BARTHOLINUM

Fratrem.

Non tibi Mercurium, coeli sed
vota precabor,
Utque DEO porro sic co-
mitatus eas.

Collige quæ profint, herbasque
inquire salubres,
Et scrutare hominum viscera,
quæque latent.

Omnibus expensis, doctum cum
videris orbem,

Dic tamen in patria cuncta vel
illa patent.

THOMAS BARTHOLINUS

Filius,

AD

AD
CHRISTOPHORUM
BARTHOLINUM

Fratrem.

TU quoque noster amor, coelū
mutare paratus,
Quo Te fata vocant, auspi-
ce perge Deo.

Mensuras orbis capiens & sidera
mundi,

Otia nulla sibi mens generosa
capit.

His quid opus? nam, crede, domi
numerabis eundem

Zodiacum, splendent hic quo-
que signa poli.

THOMAS BARTHOLINUS

Filius.

